Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Catonis Disticha Moralia, Cum Erasmi Roterodami Scholiis

Nunc A Mendis Quibus pleraq[ue] exemplaria scatebant summo studio repurgata & In Usum Scholarum Hassiacarum recens descripta, Cassellis: Wesselius, 1612

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752/phys_0001
DFG

Cd_2268.

~~Cd.e 3058.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752/phys_0002
DFG

CATONIS DISTICHA MORALIA, CUM ERASMI ROTERODAMI SCHOLIIS.

ADJUNCTIS LIBELLIS ALIIS, QUORUM TITULOS sequens pagina indicat.

NUNC A MENDIS QUIBUS plerag; exemplaria scatebant summo studio repurgata

&

IN USUM SCHOLARUM HASsiacarum recens descripta

CASSELLIS;
In Typographéo Wilhelmi Wesselii,

Anno M. DC. XII.

C. II. c. 3058.

Apophtegmata Sapientum Græcię, interprete Erasmo.

Eadem ab Ausonio vario carmine reddita, cum scholiis Erasmi.

Publii Mimi, ab Erasmo primùm castigati, & elucidati, nunc etiam à mendis aliquot repurgati.

Sententiæ Publii, Mimis similes, ex Poëtis antiquis collectæ, & expositæ à Georgio Fabricio Chemnicense.

Isocratis Paræneſis ad Demonicum, interprete Rodolpho Agricola.

AD LECTORES.

Quærite mortales virtutem, quærite toto
Pectore: nam cunctas præterit orbis opes.
Tempore, vel furto, bello vel peſte, vel igni
Res perit: extremos hæc manet uſq; rogos:
Ergo patres, patriæ pubem virtute beatam
Reddite, non opibus, quæ velut unda fluunt.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis

GEORGIUS FABRICIUS, VALERIANO PISONI S. D.

IN ALTERATIONE Erasmi objecit Budæus, quòd in Catonis, qui appellatur, Libello illustrando operam posuerit, tanquam in re levi, & ipso minime digna. Verùm neque Budæo causa fuit, etiamsi majora præstitisset, cur alios contemneret: neq; indignum extitit Erasmo, in tanta varietate literarum, scriptorumq;, dare aliquid otii studiis pueritiæ. Cum autem hi libelli fuerint depravatissimi, & ineptis commentariis planè contaminati, crebri tamen in Ludis literariis, & manibus puerorum: mea quidem sententia, non pessimè opera collocata est in iis, cùm emendandis, tùm exponendis. Siquidem & scripti brevitate sunt commodi, & sententiarum gravitate utiles. Neque aliter de Publii Syri Mimis est sentiendum: imò ut venustate, ita vetustate quoq;, & auctoritate antecedunt, & à scriptoribus antiquis plurimùm celebrantur. Deprehendimus autem multis locis cùm Catonis Disticha, tùm Publii Senariolos nondum satis emendatos, quamobrem collatione manuscripti exemplaris, quod olim ab optimo viro, Valentino Hertelio accepimus, utrosque nunc edimus correctiores, & accessione auctiores. Nam in eo-

dem exemplari Publii versus viginti, in impressis hactenus desideratos, invenimus: qui cùm à puritate & gravitate sui auctoris non abhorrerent ipsos adjecimus, cum multis aliis sententiis, ex Poetis antiquis collectis: primùm ex Latinis, Ennio, Accio, Paccuvio, Lucilio, Plauto, Cecilio, Terentio, Pomponio, Varrone, Titinnio, Laberio, Catullo, Seneca, Martiale: deinde ex Græcis, Euripide, Aristophane, Menandro, Theophrasto, Cleanthe, quorum versiculos partim Cicero, partim alii scriptores Latini transtulerunt. Plurimùm certè hæc sapiens brevitas ad percipiendum facilitatis habet, & est conveniens ingenio puerili, & apta memoriæ, & gravissimarum rerum doctores commonefacit. Hanc operam, mi Piso, cum tuis jam studiis fore oppòrtunã judicarem, tibi dicandam statui, cùm ob patris tui, viri honestissimi atque integerrimi, memoriam, tùm ob indolem tuam, qua non solùm æquare patris virtutem, sed aliquando cum ipsius laudibus contendere videris posse: quod ut summo studio pergas facere, te vehementer hortor, ut te frater tuus natu minor: vos verò ambos cæteri æquales & socii studiorum pueri, queant imitari. Vale.

Misenæ ex ludo illustri, Calend.
Jan. Anno 1550.

ERAS-

ERASMUS ROTERODAMUS, M. JOHANNI NEVIO Hondischotano Lilianorum apud inclytum Lovanium Gymnasiarchæ.

S. D.

DISTICHA MORALIA, vulgo Catonis inscripta titulo, Nevi Theologorum decus, primùm diligenter à mendis repurgavimus, collata Planudis interpretatione, tametsi Græculus ille Romani carminis sententiam sæpenumero non assequitur. Addimus & scholia, perbrevia quidem illa, sed aliquantò commodiora, ni fallor, iis commentariis, quibus duo quidam opusculum hoc contaminaverant: quorum alter insulsissimè rethoricatur, homo ipsa infantior infantia: alter ineptissimè philosophatur, uterque οὐδὲν πρὸς ἔπος loquitur. Porrò cujus authoris sit hoc opus, & utrum unius, an plurium, non admodum referre puto. Catonis ob id tantùm arbitror dici, quod sententias habeat Cato-

ne dignas. Adjecimus his Mimos, Publianos falsò inscriptos, Senecæ Proverbia. Atque his quoq; castigatis (offendimus enim depravatissimos) adscripsimus brevissima scholia, rejectis iis quæ perperam erant admixta ex aliorum libris, tùm appositis aliquot ex Aulı Gellii Noctibus, & Senecæ controversiis. Sed interim clamabit vitilitigator aliquis, hui Theologum in tam frivolis versari nugis? Primùm ego nihil fastidiendum duco, quantumvis humile, quod ad bonas pertinet literas, necdum hosce versus tanta Romani sermonis mundicie, tamq; ad bonos mores conducibiles. Quanquam me pudeat in hoc genere pauculas horas collocare, in quo non pauci scriptores Græci non mediocri cum laude sunt versati. Nam extant & hodie Theognidis sententiæ, Phocylidis & Pythagoræ præcepta, non absre aurea dicta. Denicq; si mihi indecorum esse volunt, emendasse hæc tam humilia, & explanasse, multò fœdius erit, eadem & depravata fuisse, & (quod ex ipsorum liquet commentariis) ista tam puerilia non intellecta fuisse ab iis viris, qui se nihil nescire putant. Nam Publii Mimos quis contemnat? quos Aulus Gellius lepidissimos, Seneca disertissimos vocat, cujusq; sententias (ut

idem

idem testatur) non piguit summos etiam Rhetores æmulari. Addidimus & septem sapientum celebria dicta. Hoc quicquid est laboris, tibi nuncupandum duximus, mi Nevi ornatissime, simul ut habeas, quod tuis prælegi cures alumnis, quos nulla neq; literarum, neq; morum barbaries finis infici, simul ut hoc qualecunq; monumentum non sinat nostram necessitudinem intermori. Non me clam est, quàm sit hoc plus quàm levidense, munusculum, impar magnitudini tuæ, qui cùm eruditione rara, tùm moribus, non minus integris quàm festivis, & ornas ornatissimum Theologorum ordinem, & illustrissimam Lovaniensium scholam illustras. Verùm confidebam fore, ut optimo viro libellum, quantumvis pusillum, ipsa commendaret utilitas.

Benè vale. Lovanii. Anno 1513.
Calend. Augusti.

LIBELLUS ELEGANTISSIMUS, QUI INSCRIBITUR CATO, DE PRÆCEPTIS vitæ communis, Erasmo Roterodamo castigatore & interprete.

CUm animadverterem, quàm plurimos homines graviter errare in via morum: succurrendum, & consulendum eorum opinioni fore existimavi, maximè ut gloriosè viverent, & honorem contingerent.

Nunc te, fili charissime, docebo, quo pacto mores animi tui componas.

Igitur præcepta mea ita legas, ut intelligas.

Legere enim & non intelligere, negligere est.

Itaque Deo supplica.

Parentes ama.

Prima pietas est, in Deum. Proxima in parentes.

Cognatos cole.

Tertia in reliquos cognatos. Supplicamus Deo sacrificiis. Amamus parentes, dum observamus, & obsequimur. Colimus cognatos, officiis, & consuetudine vitæ.

Magistratum metue.

Olim dabatur ingenuis pueris pædagogus, quem vererentur, hunc magistratum vocat. Et animadverte verborum proprietatem: Deo supplicandum est.

est. Parentes amandi. Cognati colendi. Magistratus metuendus, quippe severus plerunq; juxta veterum consuetudinem.

Datum serva.

Id est, Quod tua creditum est fidei, serva veluti depositum.

Foro te para.

Id est, his artibus te exerceas, ut possis in foro versari, hoc est, in causis agendis. Nam hic erat olim primus gradus ad honores summos. Legi in quibusdam vetustissimis codicibus (Foro pare) id est accommoda te rebus præsentibus, quemadmodum dicimus, utere foro. Cum hoc interpretamento consentit Græcus Planudes, neq; dubium est, quin sit germana lectio.

Cum bonis ambula.

Cum optimis habeto consuetudinem. Nam primùm talem te judicabunt, cum quibus conspexerint te consuetudinem agere: deinde bonorum convictu redderis melior.

Ad consilium ne accesseris, antequàm voceris.

Ne ingeras teipsum alienis negociis, sed accersitus accedas.

Mundus esto.

Id est, neque sordidus, neque luxuriosus, sed eleganti mundicie.

Saluta libenter.

Conciliat enim ea comitas & affabilitas multorum benevolentiam, & alit partam.

Majori cede.

Id est, noli certare cum potentioribus.

Minori parce.

Id est, noli sævire in eos, qui sunt te inferiores, sed illis concede nonnihil.

Rem tuam custodi.

Ne profundas temerè facultates tuas, ne vel turpiter egeas, vel turpiter rem pares.

Verecundiam serva.

Id est, Servate incontaminatum, ac purum ab inquinamentis libidinum. Castum enim verecundum dicitur. Est autem ætatis flos his periculis obnoxius.

Diligentiam adhibe.

Cura in omni re plurimùm valet. Negligentia semper comitem habet infelicitatem.

Libros lege.

Nam ex his citò discitur, quod longo vitæ usu vix assequi queas.

Quod legeris memento.

Nam quidam ornant se lectione, alia super alia ingerentes, neque quidquam insculpunt memoriæ.

Familiam cura.

Domestica negotia tibi curanda sunt, non aliena.

Blandus esto.

Id est, Comis in congressu.

Irasci abs re noli.

Non sis morosus. Nam omninò non commoveri, stupiditis est potiùs, quàm hominis. Ne-

Neminem irriseris.

Est enim argumentum arrogantis stultitiæ.

Vel, Miserum ne irriseris.

Sic enim quidam codices habent, hoc est, animi vitia rideri merentur, calamitas misericordiam meretur potiùs, quàm nasum.

Mutuum dato, cui des videto.

Est quidem aliquando danda pecunia mutuò, sed non quibuslibet. sed reddituris bona fide, dignis & officiosis. Denique quibus non graveris dono dare.

Judicio adesto.

Adsunt advocati, & id erat olim officium præcipuum in amico, adesse in judiciis.

Convivator rarò.

Sæpius vocare ad convivium, exhaurit substantiam: sæpius ire ad convivium, sordidum est. At Rarius utrumq; facere, humanitatis est.

Quod satis est, dormi.

Hoc est, Non ad voluptatem, sed necessitatem naturæ.

Jusiurandum serva.

Non est temerè jurandum, quod autem jurâris, præstandum est, nisi scelus sit, quod juraris.

Vino te tempera.

Esto moderatus in vino, vel abstine à vino: Nam adolescenti dare vinum, est oleum igni addere.

Pugna pro patria.

Pugnandum est, non pro quavis re, sed pro defensione

sione patria. Nam Carum more, mercede pugnare, turpissimum est, & plus, quàm gladiatorium.

Nil temerè credideris.

Id est, Ne facilis sis ad credendum quævis, quæ dicuntur.

Tu te consule.

A te ipso pete consilium; qui te, tuaq; optimè nosti.

Aut, Tutò consule.

Id est, cave à consiliis periculosis, tuta consilia sequere. Nam duplex est lectio.

Meretricem fuge. Literas discе.

Ætas enim prima studio literarum optimè coercetur à scortis.

Nil mentiri debes.

Turpe in puero ingenuo omne mendacium.

Bonis benefacito.

Beneficia non sunt conferenda, nisi in bonos, alioquin pereunt.

Maledicus ne esto.

Id est, à vitiis tempera, neque carpas vitam alicujus.

Existimationem retine.

Bonam famam tuere, ne perdas, perditur enim facilè, at non facilè sarcitur.

Æquum judica.

Id est, non ad lucrum, aut gratiam, sed ad regulam æquitatis.

Parentes patientiâ vince.

Feren-

Ferendi sunt parentes, etiam iniquiores.

Beneficii accepti memor esto.

Nam dati pulchrum est oblivisci, accepti meminisse decet.

Ad prætorium stato. Consultus esto.

Multa enim discuntur in agendis causis, id est, calleas scientiam & mores juris, ut possis amicis opitulari.

Utere virtute.

Non viribus, neque dolo.

Iracundiam tempera.

Antè monuit, non esse iracundum sine causa. Nunc admonet, justam iram moderandam esse.

Trocho lude. Aleas fuge.

Trochus convenit pueris. Alea infamis erat & apud Gentiles. Nunc principum Christianorum lusus est, imò quorundam etiam Sacerdotum delitia.

Nihil ex arbitrio virium feceris.

Tyrannicum enim est respicere quantum possis, non quantum liceat.

Minorem tu ne contempseris.

Ne fastidias inferiorem te, quod est elati, non eordati.

Aliena concupiscere noli.

Esto contentus tuis.

Conjugem ama.

Ut omnium fortunarum sociam.

Libe-

Liberos erudi.

Filios castiga & institue.

Patere legem, quam ipse tuleris.

Quam conditionem præscribis aliis, eadem ut-
tere ipse in alios.

Pauca in convivio loquere.

Ut sit aliis etiam loquendi locus.

Illud stude, quod justum est.

Quod turpe factu est, id ne affectes.

Amorem libenter ferto.

Odium omnibus modis fugiendum est. Amor amplectendus, etiam si quis parum dignus est, qui redametur, tamen amari te patere.

DISTI-

DISTICHORUM DE MORIBUS LIBER I.

SI Deus est animus, nobis ut carmina dicunt:
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Vulgus existimabat, Deum placari victimis pecudum, rebusq; corporeis, Verùm cùm Deus ipse sit Animus, hoc est, mens, non corpus; consentaneum est, simile gaudere simili, nimirum potissimum colendus est puritate mentis. Quin & hodiè vulgus Christianorum corporeis quibusdam ceremoniis colit Deum, cùm gratissimus cultus sit animi pietas. Tales enim adorantes quærit pater, qui in spiritu adorent eum, cùm ipse sit spiritus. Nulla gratior pietas Divis, quàm si vitam illorum imiteris, hoc est, tolerantiam, consuetudinem, castimoniam. Atqui hæc animi sunt. Animus est Deus, fac quantum potes, accedas, & gratissimum immolabis sacrificium. Pura mente.) *Nam vulgus lotis manibus ac pedibus ad sacrum accedebat, tu mentem purga, hujus sordes Deum offendunt, qui videt ea, quæ sunt in animo, non corpore.* Si Deus.) *Si, hic non dubitantis est, sed ratiocinantis.* Ut carmina.) *Nam Virg. in sexto, Deum spiritum & mentem vocat.* Præcipuè.) *Ut intelligas non damnari cultum corporalem, sed hunc tamen, nempe animi, esse Deo gratissimum.*

Plus

Plus vigila semper, nec somno deditus esto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Sensus est, cum vita vigilia sit, juxta Plinium, cavendum est, ne maximam vitæ partem somno perdamus, præsertim cùm è somnolentia vitia multa nascantur, & corporis & animi.

Virtutem primâ esse puta, compescere linguam:
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Prima, id est, summa, maximaq; virtus est, moderari linguam, ne quid temerè loquaris. Deus enim qui sapientissimus est, rarò loquitur, & non nisi necessaria; cùm nihil non videat, nihil non intelligat. Ita proximus est Deo, qui sapienter, & animi judicio novit tacere.

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse,
Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

Qui secum ipse pugnat, nec sibi constat, hic cum aliis convenire non potest, hoc est, qui moribus est inæqualibus, nec ullo certæ vitæ instituto, is non est aptus ad aliorum consuetudinem.

Si vitam inspicias hominum, si deniq; mores,
Cùm culpent alios, nemo sine crimine vivit.

Mortales aliorum notant vitia, sua nemo videt, cùm nullus vitiis careat, si quis propius vitam ac mores excutiat.

Quæ nocitura tenes, quamvis sint chara, relinque,
Utilitas opibus præponi tempore debet.

Aliquoties expedit, in loco res charissimas abjice-

jicere, si periculum adferant, veluti gemmas & aurum, quò vita sit in tuto: aut voluptates, quò valetudini consulamus. Non enim voluptas spectari debet, sed utilitas.

Constans & lenis, ut res expostulat, esto:
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

Pro tempore licet alios atque alios mores sumere, ut modò gravis sis, modò lenis, hoc est, placidus, ac remissus, pro re, proquè loco. Vide num legendum sit, levis pro lenis, quod magis respondet ad constans, ut sit sensus, aliquando persistendum in sententia, aliquando mutandum consilium pro tempore.

Porrò versus constabit, si legas: Constans & levis, ut rescunque expostulat, esto. Neque dubitem affirmare, hanc germanam esse lectionem. Tametsi Planudes priorem sequitur sententiam, quippe qui vertit in hunc modum:

Εμβριθὴς ἴσο καὶ πρᾶος ὅσα τὰ πράγματ' ἀπαιτεῖ.

Id est, severus esto, ac placidus, prout res postulant.

Nil temerè uxori de servis crede querenti:
Sæpè etenim mulier, quem conjunx diligit, odit.

Nihil uxoribus fermè tam peculiare est, nisi ut maritos instigent in servos. Unde monet, ne temerè fidem habeant hujusmodi querelis.

Cumq; mones aliquem, nec se velit ipse moneri:
Si tibi sit charus, noli desistere cœptis.

Non satis est leviter admonere peccantem ami-

cum, urgendum est, insistendum, ut vel improbitatem vincas, si quid erit, quod ad famam illius, aut salutem pertineat.

Contra verbosos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Si cum cordatis agas, non est opus multis verbis. Si cum stulto, frustrà contendis, propterea quod stultitia verbosissima sit.

Dilige sic alios, ut sis tibi charus amicus:
Sic bonus esto bonis, nec te mala dãna sequantur.

Sic amicis utere, ut ipse tibi sis proximus. Sic aliis bene fac, ne tibi ipse noceas. In priori versu est venusta redditio similium in dilige, & amicus. In secundo contrarium, bonis & mala.

Rumores fuge, ne incipias novus autor haberi.
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Ne quid tu in vulgus sparseris, propterea quod rumor sæpenumero in ejus caput recidit, à quo profectus est. Si rumor nihil habet periculi, tamen nihil nocet siluisse: si quid habet, nocet locutum esse.

Rem tibi promissam certò promittere noli:
Rara fides, ideò, quia multi multa loquuntur.

Noli certò promittere cuiquam alient promissi fiduciam. Quod in te situm est, præstare potes: alienam fidem præstare non potes. Et vulgus hominum ad pollicendum facilimum, præstando sæpe fallit.

Cum quis te laudat, judex tuus esse memento:
Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli.

Noli teipsum æstimare aliorum laudatione, sed

tua ipsius conscientia. Teipsum interroga, qualis sis, & si animus tibi respondeat, te longè alium esse, quàm hic aut ille te facit, magis credere debes tibi-ipsi cui notior es quam alius.

Officium alterius multis narrare memento:
Atque aliis cùm tu benefeceris, ipse sileto.

Beneficii accepti meminisse oportet, obliviscì dati. Qui dat beneficium, ejus est dissimulare se dedisse, ne commemorando videatur exprobrare. Ejus qui accepit, est passim praedicare, ne videatur ingratus & immemor.

Multorum cùm facta senex, & dicta recenses,
Fac tibi succurrant, juvenis, quæ feceris ipse.

Senes qui multa viderunt, & audierunt, multorum dicta factaque solent referre. Sed curandum est, ut ita nos geramus juventute, ut in senectute succurrant nobis, non solùm quid alii rectè dixerint ac fecerint, verùm etiam quid nos ipsi.

Ne cures, si quis tacito sermone loquatur:
Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Cùm videris quosdam inter se secretò colloqui, ne statim suspiceris eos malè de te loqui. Nam id signum est hominis malè sibi conscii.

Cum fueris felix, quæ sunt adversa caveto:
Non eodem cursu respondent ultima primis.

In rebus secundis, ne quid accidat adversi, cavendum est. Solet enim fortuna sæpius verti in diversum, & lætis initiis addere tristem exitum. Ergò cùm res secundæ sunt maximæ, tùm maximè medi-

randum est, quo pacto adversam fortunam feras. Nec si inexpectata venerit, & improvisum te oppresserit calamitas, succumbas.

Cum dubia & fragilis sit nobis vita tributa,
In morte alterius ipem tu tibi ponere noli.

Legendum est hoc haredipetis, & qui testamentis inhiant. Fit enim sapenumero, ut, qui mortem alterius expectabat, prior ipse moriatur, etiamsi junior, aut robustior fuerit. Nam ipsa hominis vita fragilis & incerta res est, & quovis casu abrumpitur.

Exiguum munus cùm dat tibi pauper amicus,
Accipito placidè, plenè, & laudare memento.

Munera sunt æstimanda non suo precio, sed animo donantis. Ita legimus summos principes aquam cava manu haustam, & malum oblatum, summa cum alacritate, perinde ut maximum munus, accepisse. Accipito placidè.) *alacri vultu, ut ostendas tibi gratum esse.* Et plenè.) *id est, non malignè, sed candidè, ut præ te feras pro exiguo munere te multùm debere.*

Infantem nudum cùm te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Cùm natura nudos nos produxerit, satis intelligere possumus, divitias alienas esse, neq; secundum hominis naturam. Si membrum perdis, est fortasse quod doleas, aliquid tui decessit: sin opes auferuntur, aut non contingunt, noli valdè cruciari. Siquidem in his, quæ vere sunt hominis, nihilo plus habent reges

quam

quàm tu pauper. Vis scire quid verè tuum sit, cogita quid habueris, cùm nascereris.

Ne timeas illam, quæ vitæ est ultima finis,
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit idipsum.

Qui mortem timet, non solùm non effugit mortem, sed insuper hoc ipsum, vitæ quod datur, perdit. Nam anxiè vivere, non est vivere.

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus,
Incusare Deum noli, sed te ipse coerce.

Nihil est acerbius, quàm amicus ingratus. Quod tamen si acciderit, non est imputandum Deo, tanquàm illius acciderit culpa. Quin potius te ipsum coërce, ut denuo benefacias ingratis. Quidam enim, si benefacientibus fortuna non respondeat, superos incusant, dicentes eos non habere rationem rectè factorum, cùm ejus acciderit culpa, qui sine delectu contulit beneficium.

Ne tibi quid desit, quæsitis utere parcè,
Utq;, quod est, serves, semper tibi deesse putato.

Utere parcè,) *id est, modicè, non profusè.* Quæsitis.) *id est, partis. Et ut serves quod habes, semper imaginare tibi deesse, ut semper aliquid addas. Sera autem (ut inquit Hesiodus) in fundo parsimonia est.*

Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli,
Ne sis ventosus, dum vis urbanus haberi.

Quod non possis efficere, ne semel quidem est promittendum, ne temerè facias. Porrò quod præstare possis, iditerum atq; iterum promittere jactantia est,

non humanitatis. Molesta est verbosa promissio. Molestior exprobratio.

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoq; fac simile, sic ars deluditur arte.

Erga eum qui fuco utitur, tu item contrà utere fuco, & juxta proverbium: Cretizà contra Cretensem. Satius est retinere simulatum amicum, quam reddere apertum inimicum: id enim fiet, si offenderis te sentire fucum.

Noli homines blandos nimium sermone proba-
re,
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Semper suspecta tibi sit blandiloquentia. Nec aestimes hominem ex bonis dictis, sed ex benefactis. Insidiatur tibi, quisquis admodum blandus est. Memento sic capi & illici aves, videlicet imitatione vocis. Et assentatione maxima pars hominum capitur, dum adulator sese ad omnes affectus attemperat.

Si tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quò possint inopem defendere vitam.

Artem (ut habet Proverbium) non solùm quævis terra, sed quævis etiam alit fortuna: unde certissimum viaticum ars est, quæ, quocunque terrarum venias, defendit ab egestate. At nunc vulgus liberos suos divitum aut principum ministeriis dedicat, ubi duo simul maxima discunt mala, luxum & ocium. Porrò quod hîc præcepit pauperibus esse faciendum, id ego suaserim divitibus quoque, ut liberos suos habeant artem aliquam discere, unde ge-

minum

minum commodum consequantur. Primùm, prima illa ætas artificio occupata, longè pauciori-bus inficietur vitiis. Deinde si fortuna abstulerit opes, non erit, cur vel mendicent, vel ad sordidas aut fœdas artes adigantur: puta turpe ministeri-um aut malitiam.

Quod vile est, charum: & charum est vile putato:
Sic tibi nec parcus nec avarus habeberis ulli.

Quod vulgus magnifacit, tu contemne: quod vul-gus negligit, tu magnifacito. Ita fiet, ut nec tibi sis parcus, audebis enim uti, quæ non magnifacis, nec cuiquam videberis avarus, cùm non expetes avidè, neq; servabis attentè, quæ cupiunt illi. Vulgus plàri-mi facit divitias, minimè facit probitatem & eru-ditionem. Tu inverte æstimationem. Res autem cuiq; tales sunt, qualis est de his opinio. Vulgus lau-tam rem putat pavonem, aut rhombum: tu contrà vilem rem putato, & puta esse rem lautissi-mam, ovum gallinæ recens, lactucam, pullum gal-linaceum. Ita nec tibi videberis sordidus, cum ha-beas lauta tuo judicio, nec aliorum expetes lautitias, quæ tibi viles sunt.

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Turpe est committere te, quod doces alios non esse committendum. Vita turpis abrogat autori-tatem docenti.

Quod justũ est petito, vel quod videatur honestũ,
Nam stultum petere est, quod possit jure negari.

Quod inhonestum est, à nemine petendum est. Nullus enim debet cuiquam in re turpi morem gerere. Aut sic: (Quod injustum est) *id est, quod non debetur, jure negari potest. Ergò non à quovis petas sed ab eo, cujus officium est præstare, quod petis, neq; quidvis, sed quod cum honestate conjunctum est. Nam id petitur aliquando & ab his, qui non debent.*

Ignotum tibi nolito præponere notis:
Cognita judicio constant, incognita casu.

Ne facilè commutes nota cum ignotis, puta amicum, vel rem, vel vitæ genus. Notis enim commodius uteris, de quibus judicare potes, quæ si bona sunt, rectiùs uteris: Sin mala, faciliùs tolerabis, quandoquidem juxta Plautum; Nota mala, mala non sunt, ignota verò, cujusmodi futura sint, incertum est. Fit autem sæpenumero, ut, quæ in expetendo putaris prima, in experiendo repudies.

Cùm dubia incertis versetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem, quicunq; laboras.

Planudes Græcus legit in certis, ut sint duæ dictiones. Sic enim vertit.

Τοῦ βίου ἀμφιβόλου φανεροῖς ἐπὶ πήμασιν ὄντος,
Πᾶς μοχθῶν πρὸς κέρδος, κέρδος ὅπερ ζῆς ὑγοῦ.

Cùm igitur vita per se incerta versetur in periculis incertis, unumquemque vitæ diem in lucro deputa: unusquisque enim dies poterat esse ultimus, & incertum erat, an tibi contingeret. Ergò in tot vitæ periculis, quicunque dies non eripitur, is in lucro est

ero est putandus. Quicunque laboras.) *Id est, quicunq; solicitus es, & angeris hujus vitæ malis. Tametsi (ut dixi) non ignoro Planudem secus exposuisse, sed non est sententia illum per omnia sequi. Nam mihi magis probatur, ut legamus incertis, unica dictione, ad hunc modũ: Cum vita dubia versetur, id est, jactetur.* Incertis periclis,) *id est, casibus. Nam pericula hac minus à nobis vitari possunt, quod incerta sunt. Vitasti naufragium, non vitasti ruinam: vitasti bellum, incidis in latrones, vitasti pestem, morderis à vipera. Mille periculis obnoxia est hominis vita, atq; his quidem incertis, & ob id inevitabilibus.*

Vincere cum possis interdum cede sodali,
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

Nihil hoc disticho elegantius fingi potuit. Obsecundandum aliquoties amicis, & de tuo jure concedendum: siquidem ea facilitas ac morigeratio retinet amicos in amicitia. Contrà, quidam dum obstinatè rixantur de lana caprina, malunt amicitiam rescindere, quàm ulla in re obsequi animo amici.

Ne dubites, cum magna petas, impendere parva:
His etenim rebus conjungit Gratia charos.

Amicitia constat officiis mutuis, & juxta proverbium: Manus manum fricat. Gratiam hic vocat Deam benevolentiæ.

Litem inferre cave, cum quo tibi gratia juncta est,
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.

Cavendum est, ne per iracundiam lis incidat cum amico, propterea quod ex jurgio residentin animis vestigia quædam, quæ benevolentiam vertunt aliquoties in odium. Et non optimè coire solet, semel rescissa concordia. Ergò morositas omnis & asperitas debet abesse ab amicitia.

Servorum ob culpam cùm te dolor urget in iram,
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.

Ne punias servum aut discipulum, quam diu senseris te ira commotum. Pessimus enim autor rerum gerendarum ira, sed prius temperes animo tuo, ut sedata iracundia, vel ignoscas, vel mitius punias. Ita Philosophus quidam: Puniremte (inquit) serve, ni iratus essem: Et Plato sublato in servum baculo, rogitatus quid ageret? Ego (inquit) castigo hunc intemperantem, seipsum significans ira concitum.

Quæ superare potes, interdum vince ferendo,
Maxima enim morum semper patientia virtus.

Maximi animi est cum possis vincere, pati tamen ut vincaris, & negligere adversarium. Hac virtute inter mortales non est alia præstantior.

Conserva potiùs, quæ jam sunt parta labore:
Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

Faciliùs ac tutiùs est servare, quod tuo labore quæsitum est, quàm sarcire, quod profusione diminueris ac detraxeris. Cùm enim laboratur integra re, facilè defenditur inopia. Verùm cum laboratur in damno sarciendo, increscit & obruit nos egestas.

Dapsi-

Dapsilis interdum notis, charis & amicis,
Cùm fueris felix, semper tibi proximus esto.

Cùm tu felix,) *hoc est, lauta fortuna.* Fueris interdum dapsilis,) *id est. liberalis, notis, charis, amicis.* Notis,) *ut vicinis.* Charis.) *quos diligis.* Amicis,) *ut cognatis. Semper tibi proximus esto. Interdum in illos sis beneficus, in te ipsum semper. Et ita amicus, ut tibi ipsi sis amicissimus.*

CATONIS LIBER II.

TElluris si fortè velis cognoscere cultus,
Virgiliũ legito: quod si magè nosse laboras
Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet.
Si Romana cupis, & Punica noscere bella,
Lucanum quæras, qui Martis prælia dicet.
Si quid amare libet, vel discere amare legendo,
Nasonem petito: sin autem cura tibi hæc est,
Ut sapiens vivas, audi, quò discere possis,
Per quæ semotum vitiis traducitur ævum.
Ergò ades, & quæ sit sapientia disce legendo.

Hoc est, ex aliis Poetis alia licebit cognoscere Virgilius in libris Georgic. docet agriculturam. Macer tradit vires herbarum, quanquam alius quispiam fuit hic Macer, quàm is, quem habemus vulgo, ni fallor. Lucanus narrat Romanorum civilia bella, ubi legendum arbitror, Civica pro Punica. Nihil n. de Punicis bellis scripsisse legitur Lucanus. Ovidius tradit artem amandi, & in Elegiis docet amores. Quod si cupis artem & rationem recte beatéq;

vivendi cognoscere, hunc librum legito. Is te non vulgares artes & nugas docebit, sed quo pacto vitam exigas semotam, id est liberam, & immunem à vitiis.

Si potes, ignotis etiam prodesse memento:
Utilius regno, meritis acquirere amicos.

Non solùm in amicos oportet esse beneficum, verùm ignoti quoq; conciliandi sunt, ac devinciendi beneficentia si modò possis prodesse. Utilius enim est, quàm plurimos amicos parare meritis, id est, benefactis, quàm parare regnum. Regnum enim eripi potest, amici succurrunt ejecto: & firmiores sunt, quos beneficio adjunxeris, quàm quos potestate premas.

Mitte, arcana Dei, cœlumq; inquirere quid sit:
Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

Juxta Socratis sententiam: quæ supra nos nihil ad nos. Admonet, ut omisso studio naturalis philosophiæ, ea curemus, quæ ad vitam humanam pertinent, hoc est, ad mores componendos, & animum malis purgandum affectibus.

Linque metum lethi: nam stultum est tempore in omni,
Dum mortem metuis, amittis gaudia vitæ.

Eandem sententiam legis in priori libro. Pro amittis arbitror legendum amittere. Qui mortis metu semper anxius vivit, stultè facit. Primùm enim non vitat id quod timet, deindè si quid habet hac vita jucunditatis, eam suo vitio perdit.

Iratus

Iratus de re incerta contendere noli,
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Pyrrhus admonere solitus est tyrones, ne irascerentur: ac multò magis oportet cavere iracundiam eos, qui disputant. Melius enim judicat, qui vacat ira: contra ira obstat animi judicio.

Fac sumptum properè, cum res desiderat ipsa,
Dandum etenim est aliquid, cum tempus postulat, aut res.

Equidem opinor promptè legendum, pro proporè. Sumptum, qui necessariò faciendus est, libenter & promptè facito, ne videaris gravatim facere. Nam aliquid omninò insumendum est, non passim, sed quoties tempus aut causa postulat, hoc est, in nuptiis, in festis, item in amicos. Planudes longè alium sensum expressit Græcè.

Καὶ δαπάναις χρῶ μείζοσιν οὔτε τὰ πράγματ' ἀπαιτεῖ
Πρὸς δὲ τὰ πραγματα τὸν καιρὸν κατάλισκε δεόντως.

Sentit enim, amplos etiam sumptus faciendos, ubi res postulat. Cæternm ad res gerendas non temerè insumendum tempus, quod hujus sumptus sit preciosissimus.

Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento,
Tuta magè est puppis, modico quæ flumine fertur.

Humilis fortuna tutior est, quàm excelsa, ut navis tutior quæ in parvo est flumine, quàm quæ in pelagi fluminibus natat.

Quod

Quod pudeat, socios prudens celare memento,
Ne plures culpent id, quod tibi displicet uni.

Ne indicaveris amicis, aut ne committas testibus aliis, cujus te facti pudeat, ne plures reprehendant, si scierint id, quod uni tibi displicet, si solus tibi conscius fueris, hoc est, si quid pecces absq; arbitris. Nec hanc sententiam intellexit Græcus Planudes. Sic enim vertit:

Πᾶν ὃ φίλοις σοῖς αἶσχον προςρέψει, μάλα κκῦθε,
Μὴ μέμψωνται σε πλεῖςοι, ὁ σὲ μοῦνον ἀνιᾷ.

Id est, quod amicis tuis probrum sit allaturum, valdè occulta, ne in hoc reprehendant te plurimi, quod te solum cruciat.

Nolo putes pravos homines peccata lucrari:
Temporibus peccata latent, & tempore parent.

Ne putes nocentes lucrari, hoc est, impunè auferre sua peccata. Latent quidem, sed ad tempus postea parent, id est, apparent, & manifestantur. Tempus enim & celat, & aperit omnia.

Corporis exigui vires contemnere noli:
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

Noli contemnere inimicum, licet sit pusillo corpore. Nam sæpè quod corporis viribus detractum est, natura addit ingenii viribus. Quanquam hæc sententia latius patet, nempè hominem non æstimandum proceritate, roboreq; corporis, sed animo potius.

Quem scieris non esse parem tibi, tempore cede:
Victorem à Victo superari sæpè videmus.

Si sen-

Si ſenſeris tibi rem eſſe cum potentiore, cede ad tempus, & ſine penes illum eſſe victoriam. Nam incidit ſæpenumero opportunitas, ut mutatis vicibus rerum vincat, qui victus fuerat, & ſuperior ſit, qui fuerat inferior. Convenit cum illo: Vir fugiens & denuò pugnabit. Quidam ſtulta pertinacia ſtatim aut vincere volunt, aut peſſundari.

Adverſus notum noli contendere verbis,
Lis minimis verbis interdum maxima creſcit.

Eandem ſententiam & antè legiſti, cum familiaribus rixandum non eſt, quod ſumma diſcordia ſolet naſci ex verbulis leviſſimis.

Quid Deus intendat, noli perquirere ſorte:
Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe.

Nec hanc ſententiam rectè vertit Planudes: vertit enim ad hunc modum:

Κληδόσι μὴ ἴχνευε, τὶ βούλεται εἰς σὲ τὸ θεῖον
Οἷ τι γὰρ ὥρισε σοῦ περὶ, καὶ σέο νόσφι τελέσθει.

Quanquam pro κληδόσι *ſuſpicari poſſit aliquis legere* κλήροσι.

Et tamen aliud eſt perficere, aliud deliberare, aut ſtatuere. Verſus autem ſenſus hic eſt: Ne ſortilegiis ac malis artibus inquiras, quid de te futurum ſit, quandoquidem id Deus ſcire non vult. Neq; enim te in conſilium adhibet, cum aliquid decernit de te: quod ſi vellet id ſcire, nimirum accerſeret te in conſilium.

Invidiam nimio cultu vitare memento,
Quæ ſi non lædit, tamen hanc ſufferre moleſtum
eſt.

Et hanc

Et hanc sententiam non rectè vertit Planudes. Sic enim reddidit.

Βασκανίᾳ φυλακῇ πάσῃ τὰ μάλιστα φύλασσου,
Ἢ εἰ μὴ βλάπτῃ σὲ φέρειν γέ μὲν ὄζει βαρεῖα.

Planudes enim, (nimio cultu) vertit maximo studio. Porrò germanus sensus sic habet: Nec nimio splendore, strepituque vitæ conflaveris tibi hominum odium. Qui tametsi non possint te lædere, tamen molestum est, vivere obnoxium odio multorum. At per se jucundum est omnibus esse charum, etiamsi nihil utilitatis inde capias.

Esto animo forti, cùm sis damnatus iniquè:
Nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo.

Ne abjicias animum, si adversarius vincit te præter jus. Nec enim diu exultabit, sed quod perperam pronunciavit judex, id Deus rejudicabit.

Litis prætéritæ noli maledicta referre:
Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

Post reditum in gratiam non oportet litis anteactæ convitia refricare, sed oblivisci superiorum injuriarum. Finita enim simultate, debet & irarum esse finis. Secus autem facere, malorum est. Græci autem vocant μνησικακῆσαι, verbo videlicet infami, præteritorum malorum memoriam.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Teipsum nec virtuperes, nec laudes, utrunque enim videtur affectantis inanem gloriam: Nam & qui se vituperat, ob id facere videtur, ut refellatur ab aliis, & diversa audiat.

Utere

Utere quæsitis modicè, cum sumptus abundat,
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

Sera in fundo parsimonia. Cùm adhuc multum superest, incipe parcius uti: citius enim effluunt parta, quàm colliguntur.

Insipiens esto cùm tempus postulat, aut res:
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Aliquando deponendum est supercilium, & remittenda severitas, ut in convivijs, in lusu, deponenda persona sapientis, sumenda persona stulti, præsertim inter stultos: at ita stultum agas, ut non stultus fias, summa enim prudentia, servire tempori.

Loco) *id est, cùm est opportunum. Ita Terentius: in loco verò laudo.*

Luxuriam fugito, simul & vitare memento
Crimen avaritiæ, nam sunt contraria famę.

Pugnant inter se luxus & avaritia. Nam alterum est profusi, alterum sordidi, utrunq; vitium juxtà fugiendum est, utpote quòd fœdam pariat famam. Siquidem qui nimium parci sunt, audient κυμινοπρίσαι, id est, cumini sectores, & συκὰ μιεῖζε, id est, ficos divide, similiaque. Qui luxu sua profundunt, nepotes, & lurcones appellantur.

Noli tu quædam referenti credere semper,
Exigua est tribuenda fides, qui multa loquuntur.

Non statim habenda fides his, qui semper aliquid novi rumoris adferunt, deq; aliorum factis nunciant aliquid. Parum enim credendum iis, qui mul-

taloquuntur, propterea quod huic vitio vanitas soleat esse adjuncta.

Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli.
Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis.

Vulgus ita solet excusare sua peccata: Vinum in causa fuit, benè potus hoc dixi. Verùm tibi ipsi imputa, non vino, quod tuo vitio noxium fuit, non suo.

Consilium arcanum tacito committe sodali,
Corporis auxilium medico committe fideli.

In rebus arcanis & tacendis, cave ne quemvis consulas, sed eum duntaxat, cujus fidem in tacendo perspectam habeas, ne non solùm non opituletur, sed lædat etiam & infamet. Neq; enim corporis vitia cuivis aperis, sed medico notæ fidei, qui celet & succurrat.

Noli successus indignos ferre molestè,
Indulget fortuna malis ut lædere possit.

In hoc versi multi laborant, qui sic legebatur:
Successus indignos noli tu ferre molestè.

Quidam s elidunt in successus, verùm si tollas tu dictionem planè hîc supervacuam, nihil superest scrupuli. Ne te cruciet prosperitas, qua nonnunquam contingit indignis. Non enim illis favet fortuna, sed insidiatur & illicit, ut postea gravius lædat.

Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos,
Nam levius lædit, quicquid prævideris antè.

Quicquid accidere potest homini, id antequam acci-

accidat, tecum meditare, ut ne ſubitum ſit, ſi acciderit. Minus enim cruciant mala, quæ non accidunt inopinanti.

Rebus in adverſis animum ſubmittere noli,
Spem retine, ſpes una hominem nec morte relinquit.

Cùm fortuna ſævit, ſuſtine teipſum animi fortitudine, ac ſervare rebus ſecundis, nec abjicias ſpem, quæ ſola nec morientem relinquit. Quandiu enim anima eſt, ſpes eſt. Et in pyxide Pandoræ ſola ſpes in labro hæſit.

Item Ovidius:

Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.

Rem tibi quam noſcis aptam, dimittere noli:
Fronte capillata eſt, poſthæc, Occaſio, calva.

Quoties fortuna offert commoditatem aliquam, quæ tibi ſit apta, ſtatim arripe. Nam occaſio frontem habet capillatam, ut ea parte teneri poſſit: verùm ſi ſemel ſe verterit, ab occipitio calva eſt, ut jam deprehendi nequeat, hoc eſt, opportunitas cùm contingit, teneri poteſt, non redit autem, cùm voles, ſi neglexeris. Hic admonendum illud quod Græci fingunt de Deo Cæco, de quo nos copioſè in Proverbiis.

Quod ſequitur ſpecta, quodque imminet antè videto:
Illum imitare Deũ, qui partem ſpectat utramq;.

Ex præteritis futura collige. Ex præteritis benè ſeu ſvè geſtis, conſilium cape, quo pacto futuris occur-

ras, exemplo Iani Dei Romani, quem bifrontem fingebat antiquitas, quòd oporteat prudentem virum πρόσθεν, καὶ ὀπίσω, id est, à fronte & à tergo (ut inquit Horat.) habere oculos. Illud autem sequitur nos, quod præteriit, & à tergo est.

Fortior ut valeas, interdum parcior esto:
Pauca voluptati debentur, plura saluti.

Vitæ rationem moderare magis ex salutis ac bonæ valetudinis ratione, quàm voluptatis. Non enim in morbo tantùm oportet ab intemperantia cavere, verùm etiam cùm rectè valeamus, parcius utendum est rebus omnibus, nempè somno, potu, cibo, Venere, luxu, ne in morbum incidamus. Etsi nonnihil dandum est voluptati, multò plus tamen saluti, qua perdita, pereunt simul & voluptates omnes.

Judicium populi nunquam contempseris unus:
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.

Nunquam optima placent multitudini, tamen sapientis est, non pugnare solus adversum universos. Nam frustra sapit, qui solus sapit, cum omnibus desipere videatur.

Sit tibi præcipuè, quod primum est, cura salutis,
Tempora ne culpes cùm sis tibi causa doloris.

Ante omnia bonæ valetudinis rationem habet ne si tua intemperantia in morbum incideris, posteà pudore rejicias culpam in cœli insalubritatem, aut loci, sicuti vulgus solet. Nam plerique morbi nobis accidunt ex intemperantia vitæ.

Somnia

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat,
Cum vigilat sperans, per somnum cernit idipsum.

Quidam anxiè observant sua somnia, & ex his de futuris æstimant, cùm somnia dormientium nascantur ex affectibus vigilantium, neq; significent, quid sit eventurum, sed quod aliquando cogitaveris, dormienti repræsentent.

CATONIS LIBER III.

HOc quicunque cupis carmen cognoscere lector,
Hæc præcepta feres, quæ sunt gratissima vitæ,
Instrue præceptis animum, nec discere cesses:
Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago,
Commoda multa feres, sin autem spreveris illud,
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

Hoc est proœmii loco. Absq; ratione benè vivendi, vita non est vita, sed simulacrum mortis. Hoc carmen utilissima vitæ præcepta tradit, si studeas cognoscere: sin spreveris, teipsum contempseris, non scriptorem, siquidem tua res agitur, non illius.

Cùm rectè vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrii nostri non est, quid quisque loquatur.

Si malè de te loquuntur mali, cùm tu nihil facias mali, esto contentus conscientia rectè factorum. Nam in te situm est, ut benè agas, non est in te situm, quomodo de te loquatur hic aut ille.

Productus testis, salvo tamen antè pudore,
Quantumcunque potes celato crimen amici.

Si citeris testis in crimine amici, celabis pro virili maleficium illius, ita tamen, ut ipse non ladas famam tuam, & tantum silentii dabis amicitiæ, quantum patietur, & fama tua, & testimonii religio.

Sermones blandos, blæsosq; cavere memento,
Simplicitas veri sana est, fraus ficta loquendi.

Veritatis simplex est oratio, insidiosa est blandiloquentia. Proinde suspecta semper esse debet prudentibus.

Segnitiem fugito, quæ vitæ ignavia fertur:
Nam cum animus languet, contumit inertia corpus.

Ignava & ociosa vita fugienda est. Nam torpor animi corpori quoq; situm & languorem adducit. Animi exercitatio corporis quoq; valetudini confert.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

Animus seriis negotiis fatigatus aliquando relaxandus est honestis ac moderatis voluptatibus, ut redintegratis viribus ad ferendos labores sufficiat. Nam Quod caret alterna requie, durabile non est.

Alterius dictum aut factum ne carpseris unquam,
Exemplo simili ne te derideat alter.

Quod in alios feceris, hoc in te fiet ab aliis, si libenter reprehendes aliorum dicta factavè, & tuo exemplo alii in te tententur.

Quæ

Quæ tibi sors dederit, tabulis, suprema, notato,
Augendo serva, ne sis quem fama loquatur.

Quod tibi obvenit ex testamento tuorum, id serva, ne fias vulgo fabula. Quæ sors suprema.) *Id est, hæreditas dederit tibi, notato, id est, inscripto tabulis testamentariis.* Vel notata.) *Id est, scriptæ tabulis, ea* (augendo serva.) *Id est, ita serva, ut augeas etiam. Vulgus enim multa dicere solet in νεοπλούτους, id est, in novas nactos divitias.*

Cùm tibi divitiæ superant in fine senectæ,
Munificus facito vivas, non parcus amicis.

Est vitium hoc senibus peculiare, ut quò propius accedant ad mortem, hôc sint contractiores. Superant. *) Id est, supersunt, & abundant.* In fine senectæ.) *Id est, in extrema senectute, quam decrepitam vocant. Tum igitur dones, sed amicis, qui te foveant obsequiis.*

Utile consilium dominus ne despice servi,
Nullius sensum, si proest, tempseris unquam.

Propter autoris humilitatem non est contemnenda salubris sententia. Nec spectandum est quis dicat, sed quid dicatur.

Rebus & incensu si non est, quod fuit antè,
Fac vivas contentus eo, quod tempora præbent.

Diminuta fortuna tua, non est utendum eodem splendore, quo prius, sed contentus eris eo genere vitæ, quod præsens fortuna tibi præbet. Et quod adest, boni consules.

Uxorem, fuge, ne ducas sub nomine dotis,
Nec retinere velis, si cœperit esse molesta.

Fuge.) *Id est, cave ne ducas uxorem dotis causa. Et si duxeris dotatam, ne dotis respectu eam retineas, si tibi gravis sit, sed contempta dote repudies. Quanquam id apud Christianos non habet locum.*

Multorum disce exemplo, quæ facta sequaris,
Quæ fugias, vita est nobis aliena magistra.

Qui suis discunt periculis quid expediat, magna mercede discunt. Sapiens enim ex aliorum vita sumit vivendi consilium. Hoc illi infamiam conflavit: cavebo, ne quid simile faciam: hoc illi benè cessit; imitabor.

Quod potes, id tentes, operis ne pondere pressus
Succumbat labor, & frustra tentata relinquas.

Prius expende vires tuas, quàm aggrediare negotium, ne posteà victus difficultate, turpiter relinquas, quod temerè suscepisti.

Quod nosti haud rectè factum, nolito tacere,
Ne videare malos imitari velle tacendo.

Noli dissimulare, si quid videris non rectè fieri, videberis enim probare cùm sines. Silentium enim aliquando consensus esse videtur.

Judicis auxilium sub iniqua lege rogato:
Ipsæ etiam leges cupiunt ut jure tegantur.

Si premeris iniqua lege, hoc est, dura & inhumana, confugias ad judicis æquitatem. Non enim hoc est contra leges, sed ex mente legum, ut ad æquitatem

tatem redigantur & temperentur. Iniqua lex est, cùm summo jure contenditur, veluti si pauper in vincula conjiciatur, quòd non alat patrem, cùm lex dicat: Liberi parentes alant, aut vinciantur. Aliquando lex durior est, ut terreat: in his Iudex, hoc est, Prator aut Princeps potest succurrere.

Quod meritò pateris, patienter ferre memento,
Cumq; reus tibi sis, ipsum te judice damna.

Incommodum, quod tua culpa tibi accidit, non imputabis aliis quam tibi: & cùm tibi sis conscius, damna teipsum, tuq; judex esto, & ea tepœna dignum existimato.

Multa legas facito, perlectis perlege multa,
Nam miranda canunt, sed non credenda Poëtæ.

Multa quidem legas, sed cum judicio. Nec enim omnia vera sunt quæ legis apud Poëtas. Fortassis pro perlege legendum est perline, hoc est, dele, & corrige, etiamsi Planudes vertit μετάγραφε.

Inter convivas fac sis sermone modestus,
Nec dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

In foro locus est eloquentiæ, in cubiculo silentii, in conviviis alternis ac moderatis sermonibus uti convenit, iisq; venustis & amœnis. Quidam dum urbanitatem adfectant, loquacitate molesti sunt reliquis convivis, quibus non relinquunt loquendi spatium.

Conjugis iratæ noli tu verba timere,
Nam lacrymis struit insidias, dum fœmina plorat.

Uxores lacrymas habent in promptu, his expugnant viros. Admonet igitur, ne quid commoveamur hujusmodi lacrymis. Fingunt enim eas sæpènumero, quo suos viros fallant, veluti cum simulant se commoveri Zelotypia, ut suum adulterium dissimulent, aut iratas se fingunt ei, quem efflictim amant. Pro nolitu, legendum arbitror, nolito.

Utere quæsitis, sed ne videaris abuti:
Qui sua consumunt, cùm deest, aliena sequuntur.

Utere quæ paraſti, non abutere, ne profusis bonis tuis cogaris vel impudenter rogare aliena, vel serviliter ex alieno vivere, vel periculosè furari aliena.

Fac tibi proponas, mortem non esse timendam,
Quæ, bona si non est, finis tamen illa malorum.

Mors vel ob hoc timenda non est, quòd finis est omnium hujus vitæ malorum.

Uxoris linguam si frugi est, ferre memento:
Namq; malum est, nil velle pati, nec posse tacere.

In amicis leviuscula quædam vitia ferenda sunt, si alioqui probè fuerint, veluti in uxore, si paulò fuerit loquacior, aut linguæ procacioris, ferendum est, si alioqui pudica est & frugi, hoc est, suo fungens officio: maximè quod linguæ morbus ei sexui peculiaris est. Malus est is, qui nihil vitii ferre potest in aliis, præsertim, cum res facilis sit tacere. Sic enim uxor desinet oggannire, si nihil respondeas, quemadmodum solitus est Socrates.

Dilige non ægra charos pietate parentes,
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

Pie-

Pietas, & amor, cultus est erga parentes, patriam, Deum, & si quis loco parentum est. Quidam veluti legibus coacti, colunt parentes, non ex animo. Dilige parentes charos, pietate non agra, id est, non coactè nec gravatim, sed promptè, & alacriter. Et si quid inciderit dissidii inter parentes, ita alteri obsequaris, ut alterum non offendas, sed pietas tua careat omni molestia.

CATONIS LIBER IV.

SEcuram quicunq; cupis traducere vitam,
Nec vitiis hærere animum, quæ moribus obsunt:
Hæc præcepta tibi semper relegenda memento,
Invenies aliquid, in quo te utare magistro.

Et hoc proœmium est quarti libri. Si vis esse liber ab omnibus vitiis, & nullius tibi mali conscius vivere, hæc semper habeas præ manibus, in quibus invenies, in quo teipso magistro possis uti, hoc est, ut ipse regas, ac modereris vitam tuam, adjutus his præceptis.

Despice divitias si vis animo esse beatus:
Quas qui suspiciunt, mendicant semper avari.

Non jubet abjicere divitias, sed non magnifacere. Etenim qui has suspiciunt, hoc est, mirantur ac magnifaciunt, dum non audent uti quæ possident, & semper mendicant, hoc est, egeni sunt.

Coma

Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt:
Si contentus eo fueris, quod postulat usus.

Si metiaris sumptus usu, hoc est, necessitate, non ambitione, neq; voluptate, nunquam tibi deerunt commoditates naturæ, quæ paucis contenta est, cum cupiditates immensum desiderent.

Cùm sis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ non est, dicere cœcam.

Si res malè tibi succedunt, tuapte negligentia, ne conferas culpam in fortunam, ut illam cœcam appelles, cùm ipse magis parum prospexeris. Potest accipi bifariam (quæ non est,) id est, quæ nulla est, Fingunt enim mortales hanc Deam, cùm nulla sit. Aut: (quæ non est,) subaudi, cœca.

Dilige denarium, sed parcè dilige formam,
Quam nemo sanctus nec honestus captat habere.

Amare pecuniam ad usum, prudentis est, amare ut forma pascas oculos, avari ac dementis. Denarium volunt omnes, formam soli mali captant.

Cùm fueris locuples, corpus curare memento,
Æger dives habet nummos, sed non habet ipsum.

Cùm agitur de corporis valetudine, ne tùm parcas divitiis tuis. Etenim qui morbo non succurrit, ne minuat pecuniam, is habet quidem nummos, at seipsum non habet, cùm malè valeat. Mavult nummos esse salvos, quàm seipsum, & illis frui, quàm seipso.

Verbe-

Verbera cùm tuleris discens aliquando magistri,
Fer patris imperium, cum verbis exit in iram.

Vapulasti puer à Præceptore, cum discereres literas, multò magis ferre convenit, cum pater te verbis objurgat. Tulisti literatoris tyrannidem multò saviorem, feras & patris imperium, qui etiam cùm irascitur, tamen à verberibus temperat.

Res age quæ prosunt, rursus vitare memento,
In quibus error ineſt, nec spes est certa laboris.

De quibus dubites, ea ne feceris. Age illa, ex quibus certa speratur utilitas. Rursus in quibus falli posses, & incertum est profuturane sint, an nocitura, abiis abstineas.

Quod donare potes gratis concedi roganti:
Nam rectè fecisse bonis, in parte lucrorum est.

Dona libenter si quid potes: nam lucrum est, non damnum, quod contuleris in bonos. Et beneficium dando accipit, qui digno dedit. Redit enim cum fœnore, quod probo viro benefeceris.

Quod tibi suspectum est, confestim discute, quid sit:
Namq; solent, primò quæ sunt neglecta, nocere.

Quæ suspicionem habent mali, ea noli negligere, sed statim examina, & exquire cujusmodi sint. Nam initiis facile medeberis, si quid mali sit. At neglecta, crescunt, ac maximè lædunt postea. Veluti si suspicaberis amicum alieniore esse in te animo, noli negligere, quid sibi velit, sed excute, unde hoc natum sit, & si quid est, statim occurre nascenti malo.

Cùm

Cùm te detineat Veneris damnosa voluptas,
Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.

Cave ne duplices morbum tuum: unus enim ut-cunq; fertur, duo simul ferri non possunt. Amare, damnosa res, damnosa gula. Quod si pariter utroq; laboras malo, superest ut mox ad egestatem rediga-ris. Gulam vocat studium exquisitorum ciborum, eamq; dicit ventris amicam, quòd per eam venter saginatur, res & fama decrescit.

Cùm tibi proponas animalia cuncta timere:
Unum hominem tibi præcipio plus esse timendum.

Cùm tua sponte putes, omnes feras esse timendas, meo præcepto unum animal maximè timebis, nempè hominem. Nam nulla belua magis homini nocet, quàm homo homini.

Cùm tibi prævalidę fuerint in corpore vires,
Fac sapias animo, poteris sic fortis haberi.

Si natura dedit vires corporis, non statim vir fortis eris, nisi adjunxeris ingenii vim, hoc est, sa-pientiam, qua corporis robore rectè utaris.

Auxilium à notis petito, si fortè laboras,
Nec quisquam melior medicus, quàm fidus amicus.

Corporis morbos aperis medico, animi morbos a-peri fideli amico. Ille pharmacis sanat, hic verbis. Aliter: si quid morbi inciderit, magis amicum ac-cerse, quàm medicum.

Cùm

Cùm sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

Veteres credebant expiari scelus commissum, mactata pecude, quæ nihil commiserat. Et pro alieno peccato, innocens dabat pœnas, cùm is, qui peccavit, potius mactari debuerit, quàm victima. Stultè autem sperabant alienam mortem sibi saluti fore, cùm sua quisq; mala de suo dependere oporteat.

Cùm tibi vel socium, vel fidum quæris amicum:
Non tibi fortuna est hominis, sed vita petenda.

Amicus quem velis adjungere, non æstimandus è censu, sed ex moribus. Idem oportet fieri in uxoribus.

Utere quæsitis opibus, fuge nomen avari.
Quid tibi divitiæ prosunt, si pauper abundas?

Frustra parasti divitias, si partis uti non audes, & inter magnas opes vivis inops. Nihil enim refert habere, si, quæ habes, nihilo plus tibi prosunt, quam ea quæ non habes.

Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,
Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia vitæ.

Si cupis honestam tueri famam, noli amare voluptates inhonestas, nempè gulæ, libidinis, & similiũ.

Cùm sapias animo, noli irridere senectam,
Nam quicunq; senet, sensus puerilis in illo est.

Cùm per ætatem vigeat ingenium tuum & animi vis, noli deridere senectutem, qua minus animo valet. Desipit enim omnis senex, & ad puerilem stultitiam redit. Ætatis igitur vitium ferendum, non irridendum.

Disce

Disce aliquid, nam cùm subitò fortuna recedit,
Ars remanet, vitamque hominis non deserit unquam.

Opes sæpenumero subitò fortuna eripit homini, velut incendio, furto, bello, naufragio, verùm ars eripi non potest. Hæc itaq; certissima possessio est, quæ semper & ubiq; te possit alere.

Perspicito cuncta tacitus, quid quisq; loquatur,
Sermo hominum mores & celat, & indicat idem.

Nullus res magis arguit & aperit vitam & ingenium hominis quam illius oratio. Hoc est certissimum animi speculum. Igitur si vis hominem, cujusmodi sit, cognoscere, perpende tecum, qualis sit illius oratio. Sermo indicat mores hominis, si loquatur ex animo, & celat idem, si vel taceat, vel dissimulanter loquatur.

Exerce studium quamvis perceperis artem,
Utere ingenium sic & manus adjuvat usum,

Ut evanescunt disciplinæ, nisi exercitatione confirmes, sic artificium opere confirmandum erit ne excidat.

Multùm ne cures venturi tempora fati,
Non timebit mortẽ, qui scit contemnere vitam.

Si vis liber esse à metu mortis, disce vitam non magnifacere. Et quemadmodum eleganter docet Aristoteles, nullius rei tranquilla fruitio est, nisi quam aliquo modo contempseris.

Disce sed à doctis, indoctos ipse doceto:
Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.

Disce

Disce, non à quovis, sed ab his, qui possunt docere. Rursum, quod ab aliis didiceris, id aliis imperti. Utilium enim rerum scientia non est premenda, sed per manus tradenda.

Hoc bibe quod possis, si tu vis vivere sanus,
Morbi causa mali est homini quandoque voluptas.

Ne biberis supra vires, brevis enim illa bibendi voluptas sæpènumero conciliat homini molestum & diuturnum morbum.

Laudaris quodcunque palàm, quodcunque probaris.
Hoc vide, ne rursus levitatis crimine damnes.

Levis & inconstans videberis, si, quod aliquando coràm multis laudaris, idem postea damnes. Quod si mutasti sententiam, fac fileas. Fortasse pro vide legendum est fuge. Crimine.) *Id est, suspicione, & cum vituperio.*

Tranquillis rebus, quæ sunt adversa cavero,
Rursus in adversis melius sperare memento.

Ne securus sis, cùm fortuna tranquilla est, sed tempestatem cave. Rursum cum fortuna sævit, animum sustine spe melioris fortunæ, quæ successura sit. In secundis rebus timenda sunt adversa, ne sis supinus. In adversis sperandæ sunt latiora, ne deficias animo.

Discere ne cesses, cura sapientia crescit.
Rara datur longo prudentia temporis usu.

Iuxta Solonis sententiam: Oportet senescere semper di-

per aliquid addiscendo. Nam rara, hoc est singularis, & eximia prudentia, contingit longo usu, id est, diutina experientia etatis. Quanquam mihi magis probatur, hic ut sit sensus: Semper disce, studio crescit sapientia. Nam pauci sunt, qui prudentes evadunt experientia rerum, vel quia paucis contingit diu vivere, vel quia complures stultitiam non exuunt hac vita. Certissima ac brevissima ad sapientiam via est, doctrina.

Parcè laudato: nam quem tu sæpè probaris,
Una dies, qualis fuerit, monstrabit, amicus.

Ne laudes amicum effusius, cujus non feceris periculum, siquidem ille sapius abs te laudatus, uno aliquo die declarabit alium fuisse se, quàm tu pradicaveris.

Ne pudeat, quæ nescieris, te velle doceri,
Scire aliquid laus est, pudor est nil discere velle.

Quidam stulto quodam pudore malunt semper nescire, quàm semel discere, cùm scire pulchrum sit, & pudendum, nihil velle discere. Ergò honestum velle.

Cùm Venere & Baccho lis est, & juncta voluptas,
Quod lautũ est animo complectere, sed fuge lites.

Excerpe quod inest boni, fuge quod adjunctum est mali. Exhilarat potatio, discutit curas, utere hac commoditate, sed rursus ebrietas incitat ad jurgia, hoc cave. Item, Venus delectat, sed habet sua jurgia, Amaigitur absque dissidiis.

Demis-

Demissos animo ac tacitos vitare memento:
Qua flumẽ placidum est, forsan latet altius unda.

Tristes ac tacitos vita, videntur enim aliquid magni mali moliri. Quemadmodum cavendum est flumen ea parte, qua tranquillum est. Nam illud profundissimum esse solet. Ita Cæsar magis metuebat Brutum & Cassium, pallidos & tacitos, quàm Antonium ebrium.

Cùm tibi discipleat rerum fortuna tuarum,
Alterius specta, quo sis discrimine peior.

Quoties tædet te tuæ sortis, confer eam cum aliorum fortuna, & videbis te nihilo peiorem, hoc est, infeliciorem multis.

Quod potes id tenta, nam littus carpere remis,
Tutius est multò, quàm velum tendere in altum.

Aggredere tuta magis, quàm magna. Tutius enim est navigare juxta littus, & remis uti, quàm passis velis periclitari in fluctibus. Nec enim omnibus favent venti fortuna.

Contra hominẽ justum pravè contendere noli:
Semper enim Deus injustas ulciscitur iras.

Noli pravè, hoc est, malitiosè, & data opera, ac perversè contendere cum homine justo. Nam Deus nunquam hoc relinquit inultum.

Ereptis opibus noli mœrere dolendo:
Sed gaude potius, tibi si contingat habere.

Si divitiæ contingunt gaude: si ereptæ fuerint, noli te cruciare, sed tunc utere philosophia. Neq; enim tantum boni habent, ut sit admodum dolendũ si

perierint, neq; rursum tantum mali, ut non sint libenter accipiendæ, si fortè contigerint.

Est jactura gravis, quæ sunt, amittere damnis,
Sunt quædam quæ ferre decet patienter amicum.

Si verbulo lædat amicus, ferendum est. At damna rerum nemo potest æquo animo ferre. In his igitur cavendum, ne lædamus amicum.

Tempora longa tibi noli promittere vitæ
Quocunque ingrederis, sequitur mors, corporis umbra.

Nemo potest sibi longævitatem promittere, cùm mors hominem, quocunq; eat, non aliter insequatur, quam umbra corpus. Fortasse legendum, corpus ut umbra.

Thure Deum placa, vitulum sine crescat aratro,
Ne credas placare Deum, dum cæde litatur.

Non gaudet Deus morte pecudum, ergò thure litandum est illi, hoc est, re innoxia, & minimi sumptus. At hodiè plerique Christianorum, licèt apud hos sublatus sit mos immolandi pecudes, tamen Deum ac divos sibi tantum devinctos esse putant, si eis gemmas, aurum, argentum, ac serica, suspenderint, vel ostentanda tantum, vel in luxum paucorum vertenda, immemores hæc semper à sanctis fuisse contempta, & si fortè obtigerint, in egentium usus fuisse effusa.

Cede locum læsus, fortunæ, cede potenti,
Cedere qui potuit, prodesse aliquando valebit.

Qui

Qui rem habet cum proceribus, quoniam prodesse possunt in multis, necesse est, ut aliquando mussitet injurias, id est, tacitus ferat. Ladunt enim aliquando potentes, & tyrannidem exercent. Hic igitur prudens illis debet cedere, ut postea per illos suis prodesse possit. Nam si resistens reddiderit eos hostes, nec sibi nec suis prodesse poterit.

Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde.
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

Ubi senseris te alicubi peccasse, statim pœnas sumito de teipso, & noli tibi ignoscere. Teipsum objurga, tibiipsi laboris aliquid indicito. Nam ut sanandis vulneribus dolor dolore sanatur, siquidem ne doleat vulnus, infundis acria, quæ mordent. Sic istu reprehensio, tametsi amara est, tamen medetur vitio animi.

Damnaris nunquam post longum tempus amicum,
Mutavit mores, sed pignora prima memento.

Si is, cum quo tibi fuit diutina consuetudo, fortè mutatis moribus alius esse cœpit, hoc debes tribuere veteri necessitudini, nec vituperes eum, etiamsi non est dignus qui ametur.

Gratior officiis, quò sis magè charior, esto,
Ne nomen subeas, quod dicitur Officiperda.

Ut sis charus omnibus, esto gratus officiis, id est, beneficiis, & benemeritis. Invisum enim apud omnes est nomen Officiperdæ. Sic enim vocat eum,

in quo collatum officium perditur. Nihil enim tam perit, atq; id, quod confertur in ingratum.

Suspectus caveas ne sis miser omnibus horis,
Nam timidis & suspectis aptissima mors est.

Qui fingit sibi periculum, is nunquam non miser vivit. Nihil igitur huic aptius quàm mors: quandoquidem non potest jucundè vivere. Suspectus hîc accipit activè, pro suspicioso.

Cùm fueris servos proprios mercatus in usus,
Et famulos dicas, homines tamen esse memento.

Sic utere servis tuis, licet emptitiis, ut memineris homines esse, non pecudes. Quòd empti sunt, fortunæ fuit: quòd homines sunt, in hoc tibi sunt pares.

Quamprimùm rapienda tibi est occasio prima.
Ne rursus quæras, quæ jam neglexeris antè.

Occasio quam antè dixit frontem habere capillatam, statim est arripienda, ne si se subduxerit, frustra quæras postea, quæ prius contempseras.

Morte repentina noli gaudere malorum,
Fœlices obeunt, quorum sine crimine vita est.

Si mali subitò moriantur, dolendum magis est quàm gaudendum. Gaudendum potius in morte bonorum, quorum mors felix, vel (sicut vertit Planudes, tametsi malus autor) Si videris malos subitò tolli, noli gaudere: Contingit idem bonis viris, & innocentibus, ut intelligas, hoc casu accidere, non vindicta numinis. Versus ipsius adscribam.

Μὴ ἐπίχαιρε κακῶν θανάτοις φίλος ἐξαπιναίοις,
Οττι καὶ ἐσθλοὶ θνήσκουσ', ὧν βίος ἄμμορος ἄσχυς.

Hæc indicavi, non ut insecter Planudem, sed ut nobis Græci vicissim ignoscant, sicubi labimur in peregrina lingua.

Cùm conjunx tibi sit, ne res & fama laboret,
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Si pauper habuerit uxorem, quæ laboret fama, hoc est, de qua homines malè loquantur, (Ducas) *id est, existimes, nomen amici vitandum esse, utpote inimicum famæ tuæ, videberis enim prostituere uxorem hoc prætextu, & hoc nomine divites pauperum uxores captant.*

Cùm tibi contingat studio cognoscere multa,
Fac multa ut discas vites nescire doceri.

Quo plura didiceris, hoc plura stude cognoscere, ne videaris indocilis ullius rei.

Miraris verbis nudis me scribere versus,
Hoc brevitas sensus fecit conjungere binos.

Sententia nudis verbis explicanda est. Melius enim meminimus quæ brevia sunt. Idcircò nudis verbis singula præcepta, singulis distichis complecti voluit, ut apertior esset & brevior.

DICTA SAPIENTUM, E GRÆCIS UT HABEBANtur à nescio quo Græculo utcunque collecta, Erasmo interprete.

PERIANDRI CORINTHII.

Omnibus placeto. *Bonares quies.*
Periculosa temeritas.
Semper voluptates sunt mortales, honores autem immortales.
Amicis adversa fortuna utentibus idem esto.
Lucrum turpe, res pessima.
Quicquid promiseris, facito.
Infortunium tuum celato, ne voluptate afficias inimicos.
Veritati adhæreto. *Age quæ justa sunt.*
Violentiam oderis. *Principibus cede.*
Voluptati tempera. *A jurejurãdo abstine.*
Pietatem sectare. *Beneficium repende.*
Supplicibus misericors esto. *Liberos institue.*
Sapientũ utere consuetudine. *Litem oderis.* (nent.
Bonos in precio habeto. *Audi quæ ad te pertinent.*
Probrum fugito. *Responde in tempore.*
Ea facito, quorum non possit pœnitere.
Ne cui invideas. *Oculis moderare.*
Quod justum est, imitare.
Benemeritos honora. *Spes fove.*

Calu-

Calumniam oderis. Diutinam amicitiam custodi.
Cum erraris, muta consilium. Affabilis esto.
Omnibus teipsum præbe. Concordiam sectare.
Magistratus metue. Ne loquaris ad gratiam.
Ne tempori credideris. Teipsum ne negligas.
Seniorem reverere. Mortem appete pro patria.
Ne quavis de re doleas. Ex ingenuis liberos crea.
Sperato tanquam mortalis. Arcanum cela.
Parcito tanquam immortalis. Ne efferaris gloria.
Cede magnis. Opportunitatem expectato.
Mortalia cogita. Largire cum utilitate.
Ne prior injuriam facias. Dolorem fuge.
Mortuum ne irrideto. Amicis utere.
Consule inculpate. Delecta amicos.

EIVSDEM PERIANDRI EX Ausonio, carmine Phalæcio.

Nunquam discrepat utile à decoro.
Id est, nihil utile, quod non est honestum.
Plus est sollicitus, magis beatus.
Quo quisq; ditior, hoc magis sollicitus vivit.
Mortem optare, malum, timere peius.
Miser est, qui tadio vitæ mortem optat, sed miserior, qui timet mortem.
Faxis ut libeat quod est necesse.
Quod necesse est facere, fac ut libenter facias.
Multis terribilis caveto multos.
Quem multi timent, is multos timeat necesse est.

Si fortuna juvat, caveto tolli.
Ne extollaris fortuna prosperitate.
Si fortuna tonat, caveto mergi.
In rebus adversis ne frangaris animo.

BIANTIS PIRENÆI
è Græca collectione.

In speculo teipsum contemplare, & si formosus apparebis, age quæ deceant formam. Sin deformis, quod in facie minus est, id morum pensato pulchritudine.

De numine ne malè loquare, quid sit audiem ausculta.

Audito multa. Loquere pauca.

Prius intellige, & deinde ad opus accede.

Ne ob divitias laudaris virum indignum.

Persuasione cape, non vi.

Compara in adolescentia quidem modestiam, in senectute verò sapientiam.

EIUSDEM EX AUSONIO,
carmine Heroico.

Quænam summa boni? mens quæ sibi conscia recti.
Quid optimum? Animus benè sibi conscius.
Pernicies homini quæ maxima? solus homo alter.
Idest, homini maxima pernicies est ab homine.
Quis dives? qui nil cupiet: quis pauper? avarus.
Dives est, non qui multa possidet, sed qui suæ sorte

sorte contentus est. Avarus omnis pauper est, qui quod habet, non habet.

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.

Mulier etiam indotata, est satis dotata, si casta est.

Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.

Casta non est, de qua fama turpiter loquitur.

Quod prudentis opus? cùm possit, nolle nocere.

Proprium prudentis est, etiam cùm possit, nolle tamen ulcisci.

Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.

Malus etiam cùm non possit, optat tamen ladere.

PITTACI MITYLENÆI, ex Græco.

Quæ facturus es, ea ne prædixeris, frustratus enim rideberis. Depositum redde.

A familiaribus in minutis rebus laesus, feras.

Amico ne maledixeris. Inimicum ne putes amicum.

Uxori dominare.

Quæ feceris parentibus, eadem à liberis expecta.

Desidiosus ne esto. Inter amicos ne fueris judex.

Ne contende cum parentibus, etiam si justa dixeris.

Ne geras imperium priusquam parere didiceris.

Infortunatum ne irriseris.

Ne lingua præcurrat mentem.

Quæ fieri non possunt, ea ne concupiscas.

Ne festina loqui. Legibus pare.

Nosce teipsum. Ne quid nimis.

Anà

Antè omnia venerare numen.
Parentes reverere. *Audito libenter.*
Voluptatem coerce. *Inimicitiam solve.*
Uxorem ducito ex æqualibus, ne si ex ditioribus duxeris, dominos tibi pares, non affines.

EIUSDEM EX AUSONIO, CARMINE Iambico, Trimetro.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Ejusdem est artis, rectè tacere, & rectè loqui.
Bono probari malo, quàm multis malis.
Non refert quàm multi laudent te, sed quales: Nam ab improbis laudari, vituperari est.
Demens superbus invidet felicibus.
Stultitia est, cruciari felicitate malorum, quasi in vulgaribus bonis sit felicitas.
Demens dolorem ridet infelicium.
Æquè stultum est, gaudere calamitate malorum, quasi non & antè fuerint infelices.
Pareto legi quisque legem sanxeris.
Quod aliis præscripseris, ipse servato.
Plures amicos re secunda compares.
Prospera fortuna conciliat multos amicos.
Paucos amicos rebus adversis probes.
Nam restante fortuna pauci manent sinceri.

CLEOBULI LINDII.

Ne sis unquam elatus. *Domui curam age.*
Libros evolve. *Liberos tibi charissimos erudi.*

Iustè

Iustè judicato. Bonis benefacito.
A maledicentia temperato. Suspicionem abjicito.
Parentes patientia vince. Beneficii accepti memẽto.
Inferiorem ne rejicias. Aliena ne concupiscas.
Ne teipsum precipites in discrimen.
Res amici diligas, & perinde serves ut tuas.
Ne cui miniteris: est enim muliebre.
Citius ad infortunatos amicos, quàm fortunatos proficiscere.
Lapis auri index, aurum hominum.
Mendax calumnia vitam corrumpit.
Mendaces odit quisquis prudens ac sapiens.

EIUSDEM EX AUSONIO. carmine Asclepiadæo.

Quantò plus liceat, tàm libeat minus.
Quò potentior es, hoc magis cave, ne quid pecces. Et quò plus tibi permittunt homines, ob principatum, hoc ipse minus permittas tibi.
Fortunæ invidia est, immeritus miser.
Cùm bonis malè est, fortunæ imputatur, cùm ea sæpè magnatum sit culpa.
Felix criminibus nullus erit diu.
Felicitas malo parta, non est diuturna.
Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
In alios lenis esto, in teipsum severus.
Parcit quisque bonis, prodere vult bonos.
Qui bonos viros tradit in manus bonorum, is servat non perdit, quos prodit. Quanquam suspicor

legen-

legendum: Parcit quisq; bonis, perdere vult malos, ut sit sensus. Qui malos ac nocentes afficit supplicio, is miseretur bonorum & innocentium, quos ab horum violentia liberat.

Majorum meritis gloria non datur.

Laus parentum non tribuitur posteris.

Turpis sæpè datur fama minoribus.

At probra parentum sæpè objiciuntur liberis.

CHILIONIS LACEDÆMONII.

Nosce teipsum. *Ne cui invideas mortalium.*
Temperantiam exerce. *Turpia fuge.*
Tempori parce. *Iustè rem para.*
Moribus probatus esto. *Ne quid suspiceris.*
Oderis calumnias. *Ne fueris operosus.*

EIUSDEM EX AUSONIO, CARMINE Choriambico, ex Choriambis, & Amphibrachis.

Nolo minor me metuat, despiciatque major.

Sic est moderanda vitæ ratio, ut ne inferioribus sit formidini, quod est tyrannicum: nec superioribus contemptui, quod est abjectæ fortunæ.

Vive memor mortis, immemor ut sis salutis.

Sic fuge turpia, quasi hodiè moriturus. Sic cura honesta studia, quasi semper victurus.

Quando hic versus depravatus est, suspicor ita legendum: Vive memor mortis, ut sis memor & salutis.

Tristia

Tristia cuncta exupera aut animo, aut amico.
In rebus adversis, aut amici consuetudinis tolle mœrorem, aut amico te sustine.
Tu benè si quid facias, non meminisse fas est.
Benefacta tua prædicent alii.
Grata senectus homini, quæ parilis juventę.
Florida senectus similima est adolescentiæ.
Illa juventus gravior, quæ similis senectę.
Morosa juventus simillima est senectuti.

SOLONIS ATHENIENSIS, ex Græco.

Deum cole. *Parentes reverere.*
Amicis succurre. *Nemini invideto.*
Veritatem sustineto. *Ne jurato.*
Legibus pareto. *Cogita quod justum est.*
Iracundiam moderare. *Virtutem laudato.*
Malos odio prosequere.

EIUSDEM EX AUSONIO, carmine Trochaico.

Dico tunc vitam beatam, fata cum peracta sunt.
Nemo beatus, nisi qui feliciter obierit diem.
Par pari conjunx jugator, dissidet quod impar est.
Firmissima est amicitia, quæ inter pares coiit.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Honos verus virtutis est præmium, non munus fortunæ.
Clàm coarguas propinquum, sed palàm laudaveris.

Amicum laudato palàm, sed errantem occultò corripe.

Pulchrius multò parari, quàm creari nobilem.

Clarior est nobilitas, quam ipse tuis virtutibus tibi pararis, quàm quæ ex majorum imaginibus contingit.

Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?

Si fatum vitari non potest, quid prodest præscisse?

Sive sunt incerta cuncta, quid timere convenit?

Sin incertum, stultum est timere, quod, an eventurum sit, nescias.

THALETIS MILESII.

Ex Græco.

Principem honora. *Amicos probato.*
Similis tui sis. *Nemini promittito.*
Quod adest boni consulito. *A vitiis abstineto.*
Gloriam sectare. *Vitæ curam age.*
Pacem dilige. *Laudatus esto apud omnes.*
Susurronem ex ædib. ejice.

EX AUSONIO.

versu Pentametro.

Turpe quid ausurus, te, sine teste, time.

Quod apud alium puderet facere, ne solus quidem ausis facere, veluti teipso teste.

Vita perit, mortis gloria non moritur.

Etiam post mortem vivit gloria benefactorum.

Quod facturus eris, dicere sustuleris,

Sile

Sile si quid est in animo facere, ne quid impediat.

Crux est, si metuas vincere quod nequeas.

Auget sibi molestiam, qui timet quod vitari non potest.

Cùm verè objurgas, sic inimice juvas.

Præstat verè carpi ab inimico, quàm falsò laudari ab amico.

Nil nimium, satis est, ne sit & hoc nimium.

Ne quid nimis. Nam modus omnibus in rebus est optimus.

PUBLII MIMI, AB ERASMO PRIMUM CASTIgati, & elucidati nunc etiam à mendis aliquot repurgati.

ERASMUS ROTERODAMUS Lectori salutem.

IN hos depravatissimè scriptos, reperi commẽtariolos longè prodigiosiores, quàm in Catonem, qui neque cœlum, neq; terram attingerent: & tamen accuratissimè depictos, ceu rem sacram. O seculum illud infelix. Sunt pleriq; Senarii Iambici: si quod diversum genus inciderit, annotabimus. Cæterùm qui scire volet, à quàm portentosis mendis hos Mi-

mos vindicaverimus, is conferat cum iis, quos antè nostram editionem habebant vulgati codices. Vale Lector, & fruere.

¶ Alienum est omne, quicquid optando evenit.

Sensus est, id quod nostro studio paratur, verè nostrum est: quod votis contingit, alienum est, nempè quod fortuna possit eripere.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Qualis fueris in alios, tales alii futuri sunt in te.

Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi.

Qui intelligit periculum, is novit cavere periculum. Temeritas autem periculosè rem aggreditur, quæ nescit timere.

Auxilia humilia firma consensus facit.

Concordia fortia facit, etiam quæ sunt imbecilla: contrà discordia maximas opes debilitat.

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.

Nobis in manu est non incipere amare: ubi cœperis, jam illi servus es, nec potes excutere cùm velis.

Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.

Mulier nimis est vehemens in utranque partem, animal affectibus obnoxium. Quanquam hujusmodi viros etiam non paucos reperias, nimis in utranq; partem vehementes.

Ad tristem partem strenua suspicio.

Qui parum sunt felices, magis laborant suspicione. Vel sic: Suspicio plerumque vergit in partem deteriorem. Strenua, hîc citam ac propensam significat.

Ames parentem, si æquus est: sin aliter, feras.

Bonum parentem ama, difficilem tolera, vel ob hoc, quia pater est. Æquus dixit pro commodo & humano.

Aspicere oportet, quod possis deperdere.

Serva quod nolis perire. Oculus autem, hoc est, præsentia domini, optimus rei custos.

Amici vitia si feras, facias tua.

Tibi imputabitur quicquid peccat amicus, cùm non admoneas.

Acerba est omni homini ingenuo servitus.

Durum est servire eum, qui liber sit natus.

Absentem lædit, cum ebrio qui litigat.

Mens enim ebrii non adest, cum qua loquendum est. Itaq; perinde est, ac si non adesset ipse.

Amans iratus, multa mentitur sibi.

Multa enim constituit in animo, quæ non præstat posteà: Egonè illam? quæ me? quæ illum?

Avarus ipse miseriæ causa est suę.

Nam sua sponte & volens pauper est.

Amans quid cupiat, scit: quid sapiat non videt.

Amans sine judicio cupit, nec expendit, salubre sit, an periculosum id quod cupit.

Amans quod suspicatur vigilans, somniat.

Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt, & inani spe sibi blandiuntur.

Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Tristia facilè sparguntur in vulgus: quæ recta sunt, & honesta vix creduntur.

Amor extorqueri non potest, elabi potest.

Amor non potest subitò vi, expelli, sed paulatim potest elabi.

Ab amante, lacrymis redimas iracundiam.

Amans iratus lacrymis placatur.

Apertè mala cum mulier, tùm demum est bona.

Fucatum & fraudulentum est animal mulier, eoquè minimè noxia, cùm palàm est mala. Indicat autem hîc, nullam esse bonam.

Avarum facilè capias, si non sis idem.

Avarum non potest ferre avarus: vel facilè falles avarum, nisi sis idem quod ille est, id est, avarus & ipse.

Amare & sapere vix Deo conceditur.

Non est ejusdem, amare, & sanæ mentis esse.

Avarus nisi cum moritur, nil rectè facit.

Etenim cùm moritur, tùm demum permittit alios suis opibus frui.

Astutè dum celatur, si ætas indicat.

Senectus celari non potest. Nisi fortè sic legendum est: Astu crimen celatur, ætas indicat. Tempus enim aperit omnia.

Avarus damno potius, quàm sapiens dolet.

Sapiens non cruciatur damnis rerum, sed is qui magnificat pecuniam.

Avaro quid mali optes? nisi ut vivat diu.

Propterea quod miserrimè vivat. Summum igitur malum optat avaro, qui optat diutinam vitam.

Animo dolenti nihil oportet credere.

Quan-

Quandiu doles, ne quid tibiipsi fidas. Nihil enim sani suadet dolor. Expecta donec residat ægritudo: tùm statue, quid velis loqui aut facere.

Alienum nobis, nostrum plus aliis placet.

Suæ quemq; sortis pœnitet. Aliena miramur, verbis duntaxat. Cæterum si ad rem ventum sit, pauci velint cum aliis commutare.

Amare juveni fructus est, crimen seni.

Amor voluptas est in juvene: scelus in sene, non voluptas.

Anus cum ludit morti delicias facit.

Anum vicinam morti, non decet lusus: videtur enim mortem delectare velle.

Amoris vulnus, idem qui sanat, facit.

Desiderii vulnus sanat idem qui fecit, si sui copiam faciat: Alluſit autem ad Telephi fabulam.

Ad pœnitendum properat, citò qui judicat.

Non statum pronuncies: nam præcipitati judicii sæpè pœnitet.

Amicos res optimæ parant, adversæ probant.

Et hoc carmen depravatum est, forte sic legendum: Amicum opimæ res parant: tristes probant. Secunda fortuna conciliat amicos, adversa explorat, ficti sint an veri.

Aleator quantò in arte est melior, tantò est nequior.

Hoc est carmen Trochaicum: in mala re quò magis excellis, tantò sceleratior es, veluti miles, quò melior est, hoc vir nequior.

Arcum intensio frangit, animum remissio.

Arcus frangitur si nimium tendas: animi vires augentur exercitatione, ocio franguntur.

Bis est gratum quod opus est, ultrò si offeras.

Beneficium precibus extortum, magnam gratiæ partem perdit. Quod ultrò oblatum est, id bis gratum.

Beneficium dare qui nescit, injustè petit.

Non debet uti beneficiis aliorum, qui ipse nemini benè facit.

Bonum est, fugienda aspicere alieno malo.

Item Plautus: Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. Quid tibi sit fugiendum, id discas non tuo malo, sed ex aliorum malis exemplum sumito.

Beneficium accipere, libertatem vendere est.

Felicius est dare quàm accipere: perdit enim libertatem, quisquis utitur alterius beneficio.

Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.

Nulla fortuna secunda est, quæ non alicujus malo contingat.

Bis emori est, alterius arbitrio.

Mortem naturalem æquiore animo ferunt homines, adactam gravius.

Beneficia plura recipit, qui scit reddere.

Ingratis nemo plura committit: quos experimur gratos, in hos majora conferimus.

Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas.

Nam & illum adjuvas, & te ejusdem malefacti reum facis.

Bonus

Bonus amicus læsus, gravius multò irascitur.

Lenis amicus cùm incandescit, vehementius commovetur.

Bona mors est homini, vitæ quæ extinguit mala.

Miseris mors est optanda quoq́, ut quæ finem adferat malorum.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Hunc versum nominatim citat Aulus Gellius, inter Mimos Publianos.

Blanditia, non imperio, fit dulcis Venus.

Iucundum est, cùm ex animo quis redamatur, non cùm extorquetur mulieris obsequium.

Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.

Qui probus est, ipse nunquam alieri peccanti assentitur.

Beneficium se dedisse qui dicit, petit.

Commemoratio beneficii dati, est reposcentis gratiam.

Conjunctio animi maxima est cognatio.

Arctius alligat mutua benevolentia, quàm affinitas sanguinis. Fortè versus hic ita legendus est.

Benevolus animus maxima est cognatio.

Nam & hoc modo carmen constat, & in hac litera, nempè B. reperiebatur.

Beneficium sæpè dare, docere est reddere.

Qui sæpius benè meretur de aliquo, is provocat ad gratitudinem quadam pertinacia benefaciendi.

Bonitatis verba imitari, major est malitia.

Qui malus est, & benè loquitur, is plusquam malus est.

Bona opinio homini tutior pecunia est.

Tutius est habere bonam famam, quàm divitias.

Bonum tametsi opprimitur, non extinguitur.

Veritas & justitia premi potest ad tempus, sed emergit posteà.

Bis vincit, qui se vincit in victoria.

Qui moderatè utitur victoria, bis vincit: primùm hostem, deinde animum.

Benignus etiam dandi causam excogitat.

Qui liberalis est, non expectat ut rogetur, sed ultrò quaritat occasionem largiendi.

Bis interimitur, qui suis armis perit.

Magis dolet nobis calamitas, cujus ipsi ministravimus occasionem: Veluti si quis hominem evehat ad magistratum, à quo posteà subvertatur.

Benè dormit, qui non sentit, quàm malè dormiat.

Cùm abest sensus malus, nihil est mali: Veluti si quis alto somno obrutus, non sentiat incommoditatem strati.

Bonorum crimen officiosus est miser.

Si calamitosus est, qui rectè vivit, hoc imputatur virtuti, cui dicunt adversari fortunam.

Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.

Decus rectè factorum non potest obscurari. Lucet e-

cet enim in ipso pectore, si non respondet opinio populi.

Benè cogitata si excidunt, non óccidunt.

Quòd rectè proposueris, etiamsi ad tempus excidit animo, tamen non omninò perit.

Benè perdit nummos, judici cùm dat nocens.

Qui corrumpit judicem pecunia, cum sit nocens, perdit eam, sed suo bono. Proindè benè perdit.

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.

Fit injuria bonis, cùm impunitas datur malis. Pauciores enim boni futuri sunt, si liceat impunè malis esse.

Bono justitiæ proxima est severitas.

Severitas enim est justitia rigidior, & exactior, vergens tamen ad inclementiam.

Bonum apud virum citò moritur iracundia.

Apud malos viros ira tardissimè senescit, apud bonos citò.

Bona turpitudo est, quæ periculum indicat.

Aut sic, quæ periculum vindicat. Satius est pudere, quàm pigere. Pudor utilis est, per quem arcemur ab his; quæ periculosè fecerimus.

Bona comparat præsidia, misericordia.

In alios misericors, meretur, ut in se faventes sint alii, si quid inciderit.

Bonarum rerum consuetudo pessima est.

Vilescit quod consuetum esse cœperit. Bonis rebus nihil debet esse charius. Charum est autem quod rarum est.

Beneficium dignis ubi das, omnes obligas.

Virtuti enim datur, non homini. Et tuo beneficio bonos in cæteros omnes utitur.

Crudelis in re adversa objurgatio.

Consolandus est amicus, non objurgandus in rebus afflictis.

Cavendi nulla est dimittenda occasio.

Nunquam satis caveris. Aliquando nocendi est omittenda occasio, cavendi nunquam.

Cum semper dederis, ubi neges, rapere imperas.

Qui assueverit semper accipere, is putat jam sibi deberi quod datur, adeò, ut si negaris, paratus sit accipere. Hoc ad principes peculiariter attinet.

Crudelem medicum intemperans æger facit.

Ægroti intemperantia facit, ut medicus cogatur ad duriora remedia descendere nempe sectionem aut ustionem, & similia.

Cujus mortem amici expectant, vitam oderunt.

Ejus vita sit invisa oportet, cujus amici mortem optant.

Cum inimico nemo in gratiam tutò redit.

Non est statim fidendum inimico. Facilè dissolvitur benevolentia, at non facilè sarcitur. Et ira omnium tardissimè senescit.

Citiùs venit periculum cùm contemnitur.

Magis nocet periculum his, qui negligunt, quàm qui cavent.

Casta apud virum matrona parendo impetrat.

Pudica uxor hoc impetrat obsequio suo, ut quicquid

quid velit, faciat maritus, & magis impetrat cùm obsequitur quàm cùm exigit.

Citò ignominia fit superbi gloria.

Arrogantiam semper sequitur infamia: qui insolenter utitur gloria, incidit in ignominiam.

Consilio melius vincas, quàm iracundia.

Ira praeceps est, prudentia sedata. Hac citius efficies quæ voles, quam violentia & ferocitate.

Cuivis dolori remedium est patientia.

Omnis dolor lenitur patientia. Alia aliis malis sunt remedia. At patientia commune malorum omnium est lenimentum.

Cum vitia prosunt, peccat qui rectè facit.

Cùm expedit esse malis, tum nocet esse bonis. Et, cùm præmium est malefactis, tum benefactis pœna est.

Contemni est levius, quàm stultitia percuti.

Satius est contemni ob virtutem, quam stultum quid agere.

Comes facundus in via pro vehiculo est.

Et hic versu citatur ab Aulo Gellio. Iucundus confabulator facit, ut non sentias viæ tadium, perinde ac si vehiculo porteris.

Citò improborum læta in perniciem cadunt.

Non est diuturna improborum felicitas.

Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit.

Videtur accusare vitam, qui mortem appetit.

Cui plus licet quàm par est, plus vult quam licet.

Hunc versiculum adscripsi ex Gellio. Cui plus permittitur quàm æquum est, is plus sibi sumit, quàm oportet. Hoc convenit in Tyrannos & uxores.

¶ Discipulus est prioris posterior dies.

Quotidiana rerum experientia reddimur prudentiores.

Damnare est, objurgare, cùm auxilio est opus.

Cum amicus afflictus eget auxilio, tum objurgare non est officiosum, sed damnare est. Primum eximendus est calamitate: postea objurgandus, quod sua culpa in eam inciderit.

Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius.

Qui in aggrediendo nimium properant, aliquando tardius conficiunt. Mora apparando non dispendium est, sed lucrum ad negotium citò conficiendum.

Dixeris maledicta cuncta, cùm ingratum hominem dixeris.

Ingratitudo omnia vitia in se complectitur Nullum igitur convitium dici potest contumeliosius. Versus est Trochaicus.

De inimico ne loquere malũ malum, si cogitas.

Si cogitas nocere inimico, cave ne loquaris malè: cavebit enim ille. Stultum est enim maledicere. Nam si amicus est, iniquè facit: si inimicus, minus illi nocebis.

Deliberare utilia, mora est tutissima.

Tutissimum est, esse lentas consultationes. Nam præcipua consilia plerumq; sunt inauspicata.

Dolor

Dolor decrescit, ubi, quo crescat, non habet.

Cùm malum venerit ad summum, tum necesse est, ut fiat remissius.

Discere flere fœminam, est mendacium.

Id est, fœmina nunquam hoc dediscet.

Discordia sit charior concordia.

Amantium iræ amoris integratio est.

Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.

De quo non potes nisi semel statuere, veluti de matrimonio, de sacerdotio, de hoc diu deliberandum est, priusquam aggrediaris.

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

Ne facile credas accusanti quempiam.

Dum vita grata est, mortis conditio optima est.

Tum optimum est mori, cum adhuc dulce est vivere.

Damnum appellandum est, cùm mala fama, lucrum.

Lucrum cum jactura famæ, damnum est, non lucrum.

Ducis in consilio, posita est virtus militum.

Frustra sunt fortes milites, ni Ducis prudentia regantur.

Dies quod donat, timeas, citò raptum venit.

Quod subitò contingit, subitò solet auferri fortuna.

Dimissum quod nescitur non amittitur.

Non est damnum, quod non sentis.

¶ Etiam

¶ Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

In tormentis sæpè mentiuntur & innocentes, adacti cruciatu.

Etiam peccato rectè præstatur fides.

Adeò servanda est fides, ut etiam malis in rebus aliquando præstanda sit.

Etiam celeritas in desiderio mora est.

Cupienti etiam festinatio videtur mora.

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Ex alienis erratis sapiens colligit, quid sibi sit cavendum.

Et deest, & superat miseris cogitatio.

Deest, quia non vident quo pacto possint mederi malis: & superest, quia non intelligunt, quid debuerint cavere, sed serò.

Est honesta turpitudo, pro bona causa mori.

Gloriosa est infamia, vitam impendere justitiæ. Versus hic Trochaicus est.

Etiam oblivisci quod scis, interdum expedit.

Quædam hujusmodi sunt, ut sint dediscenda. Legi poterat, & quod sis, ut sit sensus. Expedit aliquoties meminisse magis, quid præsens tempus & res postulet, quàm tua dignitas.

Ex hominum quæstu facta fortuna est Dea.

Studium lucri facit, ut fortuna credatur esse Dea, quæ faveat (aut ex questu) id est, querimonia. Nam illi imputat, si quid acciderit adversi.

Effugere cupiditatem, regnum est vincere.

Vincere avaritiam, aut iram, plus est quam regnum.

Exul cui nusquam domus, est sine sepulchro mortuus.

Opinor ita legendum.

Cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus.

Id est, exul qui nusquam habet domum, perinde est, ut mortuus insepultus, aut cui non est sepulchrum.

Etiam qui faciunt, odio habent injuriam.

Nolunt sibi fieri injuriã, nec ii, qui faciunt aliis.

Eripere telum, non dare irato, decet.

Irato non est danda occasio nocendi, sed potius adimenda.

Se denegare Patriæ, exilium est pati.

Sic enim versiculum hunc mutavimus: Qui latet & nõ versatur in Republica, is sua sponte exul est.

Etiam capillus unus habet umbram suam.

Nihil est tam minutum, quod non possit aliquid.

Heu quam miserum est, fieri metuendo senem.

Miserrimum est consenescere metu mali, quod nondum advenerit.

Etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem.

Qui sequitur quod dictat fides, non quid dolus, is etiam hostibus erit æquus.

Excelsis multò facilius casus nocet.

Ex alto cadentibus periculosior est injuria. Ita periculosus dejicitur ex alta fortuna.

¶ Fidem qui perdit, quo se servet in reliquum.

Qui

Qui perdit pecuniam, habet in quo se servet: qui fidem, nihil habet cui se servet.

Fortuna cùm blanditur, captatum venit.

Insidiatur fortuna cùm blanda est. Itaq; tùm maximè habenda est suspecta, cùm maximè prospera est.

Fortunam citius reperias, quàm retineas.

Difficilimum est, retinere fortunam ne mutetur. Et major virtus est tueri parta, quàm parare.

Formosa facies muta commendatio est.

Favetur enim formosis, etiam si nihil dicant.

Frustra rogatur, qui misereri non potest.

Qui non potest mollescere precibus, quid opus est hunc rogare?

Fraus est accipere quod non possis reddere.

Dolus est accipere beneficium à quopiam, cui non possis tantundem reddere.

Fortuna animum, quem fovet, stultum facit.

Magna felicitatis comites sunt, stultitia & arrogantia.

Fatetur facinus is, qui judicium fugit.

Qui detrectat judicium, indicat se sibi malè conscium esse.

Felix improbitas, optimorum est calamitas.

Quoties fortuna favet improbis, hoc fit calamitate & malo optimorum.

Feras non culpes, quod mutari non potest.

Hic versus nominatim citatur à Gellio. Quod mutari corrigiq; non potest, id tacitè ferendum est, non vituperandum.

Futu-

Futura pugnant, ut se superari sinant.

Sic instant futura mala, ut tamen vinci, vitariq; possint prudentia.

Furor fit læsa sæpius patientia.

Et hoc carmen citatur à Gellio. Leues cùm sæpius provocantur, tandem irritati grauius irascuntur, quia rarius & serius commoventur.

Ficta cirò ad naturam recidunt suam.

Simulata non diu durant. Et juxta Flaccum: Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.

Fidem qui perdit, nil pote ultrà perdere.

Omnia perdit, qui fidem perdidit. Pote legendum pro potest.

Facilitas animi ad partem stultitiæ rapit.

Facilè adducitur ad vitia, qui facilis est animo, ut Mitio ille Terentianus, qui ob facilitatem sexagenarius nouus factus est maritus.

Fides ut anima, unde abiit, eò nunquam redit.

Vt vita semel amissa nunquam revertitur, sic nec fides, juxta illud: Qui semel scurra, nunquam bonus paterfamilias.

Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet.

Pecuniam non perdit nisi qui habuit. At fidem is dicitur perdidisse, qui non habuit, id est, qui perfidus fuit.

Fortuna obesse nulli contenta est semel.

Nullum malum venit sine incursu alterius mali.

Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia.

Versus est Trochaicus, potens cùm irascitur, fulminat, non irascitur.

Frustra cùm ad senectutem perventum est, repetes adolescentiam.

Et hic Trochaicus est. Non licet rejuvenescere. Proinde seni tractanda sunt senilia.

Falsum maledictum malevolum mendacium est.

Qui convitiatur, & mentitur, is malitiosè mentitur.

Fœminæ naturam regere, desperare est omnium.

Omnes desperant se posse regere mulieris ingenium.

Fer difficilia ut facilia levius feras.

Exerce rebus difficilioribus, ut alia facilius feras.

Fortuna nulli plus quàm consilium valet.

Consilium plus efficit, quàm felicitas.

Fortuna vitrea est, quæ cum splendet, frangitur.

Vitrum cum maximè lucet, tùm facillimè frangitur: ita splendidissima fortuna minimè durabilis est.

Feras quod lædit, ut quod prodest perferas.

Ut potiare commodo, feras incommodum.

Facit ingratum fortuna, quam nemo videt.

Fortuna facit invidiosum, nisi lateat. Ergò dissimulanda est.

Frugalitas est miseria rumoris boni.

Hunc versum addidi ex Gellio. Esse frugalem, rumor quidem bonus est, sed infelix, & parum vulgo lau-

go laudatus, cui profusio magis placet. Nisi mavis miseriam accipere pro penuria, sive inopia. Nam tum erit sensus: Qui laudatur ut frugalis, is non laudatur. Tertius sensus argutissimus est: Frugalitas est parsimoniæ vitium, sed sub honesto, laudatoq; nomine.

¶ Grave præjudicium est, quod judicium non habet.

Post præjudicia sequuntur judicia, in quibus executiuntur præjudicia. At grave est illud præjudicium, quod non sequitur aliquod judicium, sed ipsum judicii loco est, veluti si princeps præ se ferat animum inimicum in quempiam, nullus est judex, qui secus ausit judicare.

Gravissima est probi hominis iracundia.

Vir bonus ut tardior est ad iram, ita gravius irascitur, si victa sit illius bonitas.

Gravis animi pœna est, quem post factum pœnitet.

Magnam pœnam dedit, quem pœnitet facti.

Gravis animus dubiam non habet sententiam.

Vir constans habet certa consilia.

Grave est malum omne, quod sub aspectu latet.

Malum illud est immedicabile, quod prætextu bonæ rei personatum est. Nam hic aspectum vocat personam.

Gravius nocet, quodcunq; inexpertum accidit.

Nova mala gravius dolent.

Gravior inimicus qui latet sub pectore.

Affectus vitiosus maximè nocet homini, at is latet sub pectore, nec potest excuti.

Gravissimum est imperium consuetudinis.

Consuetudine planè tyrannidem quandam obtines in rebus humanis, adeò ut stultissima quæq; si semel inoleverint, revelli non possint.

Grave crimen, etiam cùm dictum est leviter, nocet.

Veluti si quis apud angeles, vel joco vocet aliquem proditorem, non caret periculo, ob odium criminis.

Heu quàm difficile est gloriæ custodia.

Fama honesta facilimè contaminatur, & difficilius est eam tueri, quàm parare.

Homo extra corpus est tuum, cùm irascitur.

Non est apud se quisquis irascitur. Respondet cum illo superiori: Absenti loquitur, qui cum irato litigat.

Heu quàm est timendus, qui mortem tutam putat.

Qui mortem contemnit, is vehementer est timendus, propterea quòd alienæ vitæ Dominus est, quisquis suæ contemptor est.

Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.

Intelligit enim sibi posse accidere, ut sit opus auxilio. Versus est Trochaicus.

Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat.

Et hic

Et hic Trochaicus est. Qui, cum feliciter agit, a-liis subvenit, huic alii subveniunt in rebus adversis.

Heu quàm miserum est ab illo lædi, de quo non possis queri.

Et hic Trochaicus. Durum est lædi, vel ab amico, vel à potente, quod queri de altero non est honestum, de altero non est tutum.

Hominem experiri multa, paupertas jubet.

Paupertas ingeniosa est, & artium repertrix. Et ingenium mala sapè movent, juxta Nasonem.

Heu dolor, quàm miser est, qui in tormento vocem non habet.

Et hic Trochaicus est: In tormentis verum exquiritur. At quidam ita torquentur, ut non ausint verum dicere, scientes quid velit taceri, qui torquet.

Heu quàm pœnitenda incurrunt homines viventes diu.

In longa vita multa accidunt, quæ nolis. Hic quoq; Trochaicus est.

Habet suum venerum blanda oratio.

Insidiosa est blandiloquentia, & melle litum venenum.

Homo toties moritur, quoties amittit suos.

Orbitas mors quædam est.

Homo semper in sese aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Hic est Iambicus tetrameter. Nemo non est dissimulator.

Honestus rumor alterum est patrimonium.

Tantundem ferè valet honesta fama, quantum patrimonium.

Homo nescit, si dolore fortunam invenit.

Non sentitur dolor, quo paratur aliquid commodi.

Honestè servit, qui succumbit tempori.

Honestum est servire tempori, & cedere fortunæ ad tempus.

Homo vitæ commodatus, non donatus est.

Vita datur ad tempus, ut qui dedit, exigat suo jure quandocunq; velit.

Hæredem scire, utilius est, quàm quærere.

Quidam codices habent ferre proscire. Satius est ferre qualemcunq; hæredem, quàm nullum habere. Si legas scire, sensus est, præstat habere liberos, quibus tua relinquas, quam circumspicere alienos.

Hæredis fletus sub persona risus est.

Hic quoq; versus citatur à Gellio. Fletus hæredis est risus personatus, id est, dissimulatus: gaudet enim, etiamsi fleat.

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.

Vulgus malè sentit de muliere sæpius nupta.

¶ Inferior horret, quicquid peccat superior.

Quod principes peccant, id recidit in malum plebis.

Inimicum ulcisci, vitam accipere est alteram.

Iucundissima res est vindicta, & velut altera vita.

vita. Primùm vitam tuetur suam, deinde capit voluptatem ex ultione.

Ita agas ut ne quis merito te tuo oderit.

Odium effugere non possumus: ne quis nos meritò oderit, id cavere possumus.

Invitum cùm retineas, exire incitas.

Qui non cupit manere, hunc quò magis retines, hoc magis cupit abire.

Ingenuitatem lædis, cùm indignum rogas.

Servile est, supplicem esse homini indigno. Laditur enim ingenuitas.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Nulli benefacit avarus, sæ verò etiam discruciat custodia rerum suarum.

Inopi beneficium bis dat, qui celeriter dat.

Bis gratum est beneficium, quod statim promptéq; datur egenti.

Instructa inopia est, in divitiis cupiditas.

Cupere cùm abundes, inopia quædam est non expedita, sed instructa, & onusta, quasi dicas, dives inopia.

Invitat culpam, qui peccatum præterit.

Qui dissimulat peccatum, is invitat, ut iterum peccetur.

Jucundum nihil est, nisi quòd reficit varietas.

Nihil tam dulce quod non pariat satietatem, nisi varietate condiatur.

Ingenuitas non recipit contumeliam.

Generosi & ingenui animi est negligere contume-

meliam. Aut sic: Generosus animus impatiens est contumeliæ.

Impunè peccat, cùm quis peccat rarior.

Fortè sic legendum: Impunè peccat, cùm quis peccat rarius.

Ingratus unus, miseris omnibus nocet.

Unius hominis ingratitudo facit, ut nec gratis succurratur, cùm egent.

In miseri vita nulla contumelia est.

Hoc carmen variè reperi depravatum. Et haud scio an rectè divinarim. Non videtur contumelia quam facis in hominem malum & infelicem. Nisi sic mavis: In vitia miseri contumelia est dicere, id est, contumeliæ genus est, insectari vitia hominis miseri, qui magis eget consolatione.

Inopiæ parva desunt, avaritiæ omnia.

Videtur hic versus depravatus. Nam in controversiis Seneca citat hujusmodi Publii carmen: Luxuriæ desunt multa, avaritiæ omnia. Quanquam hic quoq; versus constabit, si legas: Inopiæ desunt parva, sive pauca, quod ego malim. Multa desiderat pauper ad vitæ usum, sed avarus magis eget, qui nec id habet, quod habet.

Ita amicum habeas, posse ut fieri inimicum putes.

Et hic citatur à Gellio. Sic ama, tanquam osurus. Ita confidas amico, ut si fiat inimicus, non multum possit lædere. Gellius hanc sententiam Chiloni, Cicero in Lælio adscribit Bianti.

Invi-

Invidiam ferre, aut fortis, aut felix potest.

Fortunati negligunt invidiam, vir fortis contemnit.

In amorem mendax semper iracundia est.

Eadem est sententia, quàm antè dixit. Amans iratus multa mentitur sibi.

Invidia tacitè, sed minutè irascitur.

Invidia habet iram suam, & dissimulatam, & minutam, hoc est, de re nihili.

Iratum breviter vites, inimicum diu.

Ira statim subsidit, odium diuturnum est. Odit autem quisquis est inimicus. Ab hoc igitur diu cavendum est, imò semper. Hoc ipsum admonet sapiens Hebraeus, ab hoste reconciliato esse cavendum.

Injuriarum remedium est oblivio.

Vindicta non medetur injuriis tibi factis, sed oblivio optimè.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximũ.

Trochaicus est. Fortissimum est, iram suam vincere. Hoc Alexander ille magnus orbis domitor non potuit.

In malis sperare bonum, nisi innocens nemo solet.

Et hic Trochaicus. Bona conscientia facit, ut in malis speremus superos auxiliaturos.

In vindicando criminosa est celeritas.

Quidam habent: In judicando ne sis praeceps, vel ad ultionem, vel ad judicandum.

Inimicum quamvis humilem, docti est metuere.

Sapientis est, non contemnere hostem, quantumvis humilem, potest enim per occasionem nocere.

In calamitoso risus etiam injuria est.

Miseri risu etiam offenduntur. Et quibus res sunt minus secundæ, ad suspicionem mali rapiunt, etiam casu dicta.

Judex damnatur, cùm reus absolvitur.

Cùm absolvitur nocens, tunc judex non innocens sit, oportet.

Ignoscere humanum, ubi pudet, cui ignoscitur.

Non ignoscendum est, nisi pœniteat facti.

In rebus dubiis plurima est audacia.

Fortè legendum est, plurimum, vel plurimi. Multum valet audacia, cùm res est dubia, hoc est, periculosa.

Illo nocens se damnat, quo peccat die.

Quisquis admittit scelus, illicò sibi damnatus est, indice conscientia, etiamsi judex nemo pronunciet.

Ita crede amico, ne sit inimico locus.

Idem dixit anteà. Ita amicum habeas, &c.

Iratus etiam consilium facinus putat.

Qui irascitur, etiam scelus putat judicio, rectéq; fieri.

Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.

Hoc addidi ex Gellio. Qui semel expertus, iterum exponit se periculo, impudenter accusat fortunam. Est autem & hic Trochaicus Tetrameter.

¶ Loco ignominiæ est apud indignum dignitas.

Honor

Honor commissus indigno, non honestat eum, sed magis dedecorat.

Laus ubi nova oritur, etiam vetus admittitur.

Si iterum rectè facies, efficies ut superiori de te fama fidem habeant homines.

Læso doloris remedium inimici dolor.

Suum malum minus sentit, qui potest ulcisci.

Levis est fortuna, citò reposcit quæ dedit.

Fortuna inconstans, statim repetit & aufert, si quid dedit.

Lex universi est, quæ jubet nasci & mori.

Necessitas nascendi & moriendi neminem non complectitur.

Lucrum sine damno alterius, fieri non potest.

Unius lucrum damnum est alterius. At non item in rebus animi.

Lascivia & laus nunquam habent concordiam.

Intemperantia semper obnoxia est infamiæ.

Legem nocens veretur, fortunam autem innocens.

Innocens etsi non veretur leges, ut nocens, tamen timet fortunam, quæ nonnunquam opprimit innocentiam.

Luxuriæ desunt multa, avaritiæ omnia.

Hunc versum Seneca citat in controversiis: Multis eget profusor: avarus eget omnibus. Illi multum est opus, qui multum absumit, huic nihil est satis, cùm sit insatiabilis.

¶ Malignos fieri maximè ingrati docent.

Ingra-

Ingrati faciunt, ut qui benigni fuerint, contractius donent. Hos enim malignos vocat, id est, parcos.

Multis minatur, qui uni facit injuriam.

Omnes expectant injuriam ab eo, qui uni fecerit.

Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.

Molesta est mora in omni re, tamen eа nos reddit sapientes, ne quid agamus temerè aut inconsulto.

Mala causa est, quæ requirit misericordiam.

Innocentia non eget misericordia, sed aquam desiderat judicem. At cum fiducia rei tota est in misericordia judicis, pessimam habet causam.

Mori est felicis, antequam mortem invocet.

Ille feliciter moritur, qui tum moritur, dum adhuc jucunda est vita, ac nondum hujus tedio mortem optat. Quidam codices pro felicis, habent felicius.

Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui.

Durum est, cùm non licet loqui, quod velis. Nam illic multò minus licebit facere quæ velis, si loqui non licet.

Miserrima est fortuna, quæ inimico caret.

Felicitas incitat inimicitias, ergò cui nullus invidet, is miserrimus sit oportet.

Malus est vocandus, qui sua causa est bonus.

Qui benefacit commodi sui causa, is malefacit.

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus.

Dissimulata malitia pessima est.

Metus cum venit, rarò habet somnus locum.

Timor

Timor abigit somnum. Aut, non est dormitandum in periculo.

Mori necesse est, sed non quoties volueris,

Aliquando optant mortem homines, cùm mori non possint.

Malè geritur, quicquid geritur fortunæ fidæ.

Quod à fortuna pendet, id parum est firmum.

Mortuo qui mittit munus, nil dat illi, demit sibi.

Olim solebant inferias exhibere mortuis. Hoc perit vivis, & nihil accipit mortuus. Trochaicus est.

Minus est quàm servus, dominus, qui servos timet.

Infra servos est, qui servos suos timet, nempè malè sibi conscius.

Magis hæres fidus nascitur, quàm scribitur.

Filius nascitur hæres, hæredipeta scribitur.

Malo in consilio fœminæ vincunt viros.

In rebus malis plus sapiunt fœminæ, quàm viri.

Mala est voluptas alienis adsuescere.

Dulcis cibus alienus, sed fœda voluptas est, adsuescere alienis.

Magno cum periculo custoditur, quod multis placet.

Trochaicus est. Difficile est servare, quod expetunt multi, veluti pecuniam, aut formosam uxorem.

Mala est medicina, ubi quid naturæ perit.

Medicina quæ ladit naturam, dura est, velut quæ membrum aufert.

Mala natura nunquam auctore indiget,

Ad

Ad mala vel citra doctorem sumus idonei, virtus discitur.

Miseriam nescire, sine periculo est vivere.

Qui sine periculo vivit, is feliciter vivit. Vita tuta quamvis humilis felicissima est.

Malè vivunt, qui se semper victuros putant.

Semper enim prorogant in crastinum, si quid est voluptatis, aut bonæ rei.

Maledictum interpretando facies acriùs.

Quidam excusant convitium interpretatione, atq; ita magis irritant.

Malè secum agit æger, medicum qui hæredē facit.

Invitat enim ut occidat.

Minus decipitur, cui negatur celeriter.

Minus enim diu sperat, & frustratur levius.

Mutat se bonitas, cùm irrites injuria.

Boni fiunt mali, si provoces.

Mulier cùm sola cogitat, malè cogitat.

Mulier apud se cogitabunda, aliquid mali volvit in animo.

Malefacere qui vult, nusquam non invenit causam.

Malis nunquam deest occasio malefaciendi.

Malevolus semper sua natura vescitur.

Etiamsi deest præmium maleficii, tamen malevolus fruitur sua malitia, & vel gratis malus est.

Multos timere debet, quem multi timent.

Quem multi timent, hunc pauci amant. Is igitur vicissim timeat oportet, à quibus timetur.

Malè

Malè imperando summum imperium amittitur.

Summum imperium est, benè imperare, id amittitur malè imperando. Sive, nullum imperium tàm potens, quod non amittatur, si tyrannicè imperes.

Mulier quæ nubit multis, non placet.

Malè audiunt vulgò, quæ sæpius mutant maritum: aut infelices sunt, aut incontinentes, aut inconstantes, aut morosæ.

Malum consilium est, quod mutari non potest.

Nunquam te involvas hujusmodi modo, ut te explicare non possis. Hunc versum adjecimus ex Aulo Gellio.

Nihil agere semper infelici est optimum.

Qui infortunatus est in rebus gerendis, huic optimum est in otio vivere.

Nil peccant oculi, si animus oculis imperet.

Oculos incusamus, quasi ministrent occasionem majorum cupiditatem. At animus in culpa est, qui oculis non imperat.

Nil proprium ducas, quod mutari possit.

Nil existimes verè tuum, ac perpetuum, quod possit auferri.

Non citò perit ruina vir, ruinam qui timet.

Fortasse sic legendum, ut sit Trochaicus. Non citò perit ruina, qui ruinam prætimet, id est, non facilè opprimitur incommodo, qui præcavet incommodum, & non facilè opprimitur periculo, qui periculum observat.

Nesci-

Nescias quid optes, aut quid fugias, ita ludit dies.

Trochaicus est Tetrameter. Ita ludit tempus, & fortunæ vicissitudo, ut sæpè quæ putaris optima, sentias maximè nocere, & econtra.

Nunquam periculum sine periculo vincitur.

Et hic citatur à Gellio. Audendum est aliquo pacto, si cupias effugere periculum. Nam qui timet omnia, nunquam sese explicabit.

Nulla tam bona est fortuna, de qua nil possis queri.

Trochaicus est. Felicitati semper aliquid adjunctum est incommodi.

Nusquam melius morimur homines, quam ubi libenter viximus.

Ibi mori optimum, ubi jucundè vixímus. Trochaicus est.

Negandi causa avaro nunquam deficit.

Qui non dat libenter, semper aliquam invenit causam, cur non det.

Nimium altercando veritas amittitur.

Moderata disceptatione veritas excutitur, at immoderata perditur: Id quod prorsus accidit sophisticis quibusdam, acrixosis disputationibus. Hic versus à Gellio citatur.

¶ O vita, misero longa, felici brevis.

Hunc refert Seneca. Infelices laborant vitæ tædio, felicibus mors ante diem videtur accidere: quòd vitæ tædium non sentiat.

¶ Pars beneficii est, quod petitur, si bellè negas.

Quidam

Quidam ita molestè dant, ut gratiam amittant beneficiis: quidam adeò commode negant, ut videantur dedisse.

¶ Quotidie damnatur, qui semper timet.

Qui sibi conscius, semper timet supplicium, is quotidiè damnatur.

Quotidiè est deterior posterior dies.

Sæpe ætas vergit in peius, hoc est, mores hominum indies magis ac magis degenerant.

¶ Ridiculum est, odio nocentis perdere innocentiam.

Trochaicus est. Stultum est sic odisse peccatum, ut ipse pecces. Veluti si quis ob impudicam uxorem veneno tollat adulterium, & sic puniat adulterium, ut ipse fiat veneficus.

¶ Stultum est timere, quod vitari non potest.

Veluti mortem, aut aliud fatale incommodum.

¶ Timidus vocat se cautum, parcum sordidus.

Suis quisquis vitiis blanditur, eaq; externis mutatis nominibus.

Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.

Hunc Senarium citat Seneca in controversiis. Avarus non magis utitur suis, quàm alienis: utrisque igitur ex æquo caret.

¶ Veterem ferendo injuriam, invitas novam.

Et hic refertur ab Aulo Gellio. Si sinas impunitum peccatum, facis ut iterum libeat peccare.

SENTENTIÆ PUBLII MIMIS SIMILES EX POEtis antiquis collectæ, & expositæ à Georgio Fabricio, Chemnicense.

APPrimè in vita est utile, ut ne quid nimis.
Mediocritas in omni re est laudabilis, atq; utilis. Hoc dictum, quod alii Pittaco asscribunt, refert Terentius in Andria.

Amicus certus in re incerta cernitur
Ennius apud Ciceronem de amicitia. In rebus adversis cognoscitur fides amicorum.

Amor perennis conjugis castæ manet.
Seneca in Octavia. Pudicæ uxoris sempiternus amor est, neq; ulla violatur injuria.

Amor ociosa causa sollicitudinis.
Ex manuscripto, in quo inter Publii Mimos legitur. Apud ociosos accessum amor habet. Unde Adolescens ille in Truculento: Re placida atq; ociosa, victis hostibus, amare oportet.

Amantium iræ amoris integratio est.
Terent. in Andr. Ex amantium discordia conciliatur firmior concordia.

Alium silere quod voles, prius sile.
Seneca in Hippolyto. Quæ tecta, tacitaq; esse cupis, tu primus ne renuncia.

Aliena laudat qui genus jactat suum.

Idem

Idem in Her. Furente. Qui majorum laudes prædicat, quibus ipse nihil adjecit, aliena prædicat. Ea nostra sunt, quæ virtute propria fecimus.

Æquum animum indignanti iniquat contumelia.

Trochaicus Laberii: Contumeliosus sermo iniquat, hoc est, iniquum facit, & incitat etiam æquum animum, si accersit indignatio.

An dives, omnes quærimus, nemo an bonus.

Seneca ad Lucilium ex Euripide affert. Habet sententia reprehensionem morum communium.

Avarus animus nullo satiatur lucro.

Idem ad eundem cum alia Publii sententia adducit hunc versum lib. 14. Avari cupiditas nulla copia impletur.

Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

Ennius apud Cic. 2. de Officiis. Beneficium perit, quod apud indignum ponitur.

Bonus animus in mala re, dimidium est mali.

Plaut. in Pseud. Patientia in adversis partem mali tollit.

Bona, imperante animo, fiet pecunia.

Ex manu scripto. Si animus gubernet modum divitiarum, non possunt esse malæ.

Bona quem non sustinent, cadunt ut opprimant.

Ex eodem. Qui uti nescit bonis, ei non præsidio sunt, sed augent ruinam.

¶ Cuique proprius attributus error est.

Ex Catulli epigrammate. Simile illud Propertii: U-

tii: Unicuiq; dedit vitium natura creato. Item Horatii: Vitiis nemo sine nascitur. Hæc dicta faciunt ad muniendam arrogantiam.

Cæca est temeritas, quæ petit casum ducem.

Sen. in Agamemnone. Omnis temeritas improvida, sed maximè ea, quæ successu aliquo nititur.

Cœlestis ira quos premit, miseros facit.

Idem in Herc. Oeteo. Verrè miser est, qui Deum iratum habet.

Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet.

Pacuvius in Niptris, Apud Cic. in 2. Tusc. Trochaicus. Dolere debemus, flere muliebriter non debemus. Dolor esse nos homines ostendit, doloris moderatio etiam viros. Lamentatio & ab homine, & à viro aliena est.

Castiga amicum clanculum, lauda palàm.

Ex manuscripto. Castigatio amici est acerba ideo clàm fieri debet. Laus grata ideò publicè adhibenda. Ex Solonis dicto sumpta sententia.

Consueta vitia ferimus, non reprehendimus.

Ex eodem. Quæ in consuetudine sunt, etiam si vitiosa fuerint, toleramus potius quàm accusamus.

Contumeliam nec fortis potest, nec ingenuus pati.

Ex eodem. Trochaicus. Insolentes infamiæ sunt fortes & generosi homines.

Conscientia animi nullius invenit linguæ preces.

Ex eo-

Ex eodem. Trochaicus. Mens bene conscia seipsa contenta est, neq; de alieno pendet judicio, neq; precatores sibi parat.

Quotidie damnatur, qui semper timet.

Ex eodem, apud Erasmum legitur in Q. litera, Laurentius Abstemius lib. 2. de locis obscuris negat Seneca esse, in hoc ipso errans, quòd Publii esse ignoraverit.

¶ Deteriores omnes sumus licentia.

Terent. in Heau. Quo plus licebit nobis, tantò magis libet.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Seneca in Cleante lib. 18. ad Lucilium. Fatis nemo potest resistere, obsequentibus indulgent, repugnantibus vim inferunt.

Dedisci animus serò, quod didicit diu.

Seneca in Trojade. Quod insitum sensibus, confirmatum doctrina est, difficulter deponitur.

¶ Exilium patitur, patriæ qui se denegat.

Ita in manuscripto legitur, aliter restituit Erasmus.

¶ Faciendum id nobis, quod parentes imperant.

Plaut. in Sticho. Imperium parentum sanctum habendum est.

Fortiter malum qui patitur, idem pòst patitur bonum.

Idem in Asin. Trochaicus. Tolerans in adversis, ex rebus secundis voluptatem capit.

Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

Idem in Merc. Inde translatum est. Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Fortuna humana surgit, artatque ut lubet.

Idem in Capt. Fortuna dominatur in rebus humanis, & uti ea ostendit sese, ita magni atq; humiles sumus. Ita Homerus, Pindarus, Archilochus, Apollodorus, eosq; secutus Terentius.

Fortuna immoderata in bono æquè atque in malo.

Laberius apud Gellium. Fortuna neq; in bonis neq; in malis modum observat.

Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Sen. in Thebaide. Nihil magis anceps atque incertum quàm eventus bellorum.

Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Idem in Medea: Fortuna juvat audentes, formidolosis adversa est.

Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Martialis, Senarius scazon. Multi nimis habuerunt opum, ut Crassus & Lucullus: quorum tamen cupiditas nullis copiis expleta fuit.

Florem decoris singuli carpunt dies.

Sen. in Octavia. Pulchritudo singulis decrescit diebus, nec forma aeternum. Translatum ex Ovidio, qui de forma ait: quantumq; accedit ad annos. Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Fortem facit vicina libertas senem.

Ibidem hoc est illud (ut scribit Cicero) quo Pi-

sistra-

sistrato Tyranno à Solone responsum est, cùm illè quærenti, qua tandem spe fretus sibi tam audacter resisteret, respondisse dicitur: Senectute.

Facilitate homini nihil est melius, neq; dementia.

Terent. in Adel. Trochaicus. Nulla virtutes in vita hominum illustriores, quam commoditas morum, & clementia.

Fermè fugiendo in media fata incurrimus.

Ex manuscripto. Legitur eadem sententia, licet diversis verbis, apud Homerum & Hesiodum, & comprobat Alexandri Epitome, de quo apud Iustinum lib. 12.

¶ Gradus est futuri, finis alterius mali.

Quod de suis ærumnis dicit apud Senecam Hercules, ad universum hominum genus rectè accommodatur. Finis enim unius mali in hac vita, transitus est ad aliud malum.

¶ Haud est virile, terga fortunæ dare.

Seneca in Oedipo. Fortunæ cedere, non viri est officium. Et Nautes ad Æneam inquit: Tu contra audientior ito, Quam tua te fortuna sinet.

Haud est nocens, quicunq; sua sponte est nocens.

Idem in Herc. Oeteo. Nullum peccatum est, nisi voluntarium.

Hoc facile credunt, qui nimis miseri volunt.

Idem in Herc. Furente. Ea quæ cupimus: quæque prosunt, facile credimus: contra tardè, quæ credita lædunt, credimus, inquit Ovidius, Epist. 2 Heroid.

Habere regnum casus est, virtus dare.

Idem in Thiest. Ad imperium multi casu perveniunt, sed regnum alteri ultrò concedere, perfectæ virtutis est.

Homine imperito nunquam quicquam injustius.

Terent. in Adel. In omni re plus ad injuriam & contentionem parati sunt qui minus sunt experti: & proprium imperitiæ est, invisa defendere.

Homo tacere qui nescit, nescit loqui.

Ex manuscripto. Silentium opportunum, & sermo tempestivus, sapientis utramq; hominis. Pittaci antiquum dictum.

¶ Imperia dura tolle, quòd virtus erit.

Sen: in Her. Furente, Virtus non spectatur, nisi periculis. Socrates pedem Athenis non extulit triginta Lacedæmoniorum tyrannis imperantibus.

Iniqua nunquam imperia retinentur diu.

Idem in Thebaide, in Medeam in Trojade hanc repetit sententiam, & res docet, nullum dominatum injustum diuturnum aut stabilem esse.

Imperia precio quolibet constant benè.

Tyrannorum vox, apud Senecam: Polynicis in Thebaide: apud Euripidem Eteoclis in Phœnissis, Dum imperium habeas, ne quæras quo jure habeas. Si violandum est jus, regnandi gratia violandum est; dicebat Iulius Cæsar.

In servitutem cadere de regno grave est.

Sen. in The. Ex domino servum fieri, acerbissimum.

Id fa-

Id facere laus est, quod decet, non quod libet.

Idem in Octavia. Potentia non abutendum ad libidinem.

Is amicus est, qui in re dubia te adjuvat.

Plautus. In rebus adversis exploratur amicorum fides, & constantia.

In re mala animo si bono utare, adjuvat.

Idem in Capt. Animus aquus optimum est condimentum, ut idem dicit alibi.

Invitare est calamitatem, cùm te felicem vocas.

Ex manuscripto. Res secundæ securitatem pariunt, securitas est calamitatis initium.

Jus, omnem supra injuriam positum scias.

Ex eodem. Justitia cultus omnem vincit iniquitatem.

Invidia loquitur, non quod est, sed quod subest.

Ex eodem. Invidorum non solet esse rectum judicium.

¶ Leve est miserias ferre, perferre grave.

Sen. in Thyeste. Facile est mala tolerare aliquandiu, sed in perferendo constantia est difficilior.

Leges bonæ ex malis creantur moribus.

Macrobius citat non expresso auctoris nomine, sed proverbii. Cic. lib. 3. Satur. Leges feruntur contra improbitatem, ideoq; improbitas bonarum legum causa est.

¶ Mortalis nemo est, quem non attingat dolor.

Ex Euripide. Cic 3. Tusc. Nemo tam felix unquam inter homines extitit, qui non aliquando doluerit.

Malo si benefacias, id beneficium interit.

Plaut. in Pœnulo. Beneficium in improbum collocatum perit.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt malè.

Idem in Bacch. Bonis maledicere, improbitatis est indicium.

Meminisse dulce est, quod fuit durum pati.

Sen. in Herc. Furente. Suavis est recordatio malorum præteritorum.

Malam bonæ præferre salutem licet.

Idem in Thyeste. Rebus latis nimium animi ferociunt, tristibus sunt humiliores: mala igitur fortuna bona videtur anteferenda.

Mens impudicam facere non casus solet.

Idem in Hippolyto. Quæ mentem pudicam habet nulla violatur injuria, ut Lucretia.

Magnum timoris remedium clementia est.

Idem in Octavia. Ne habeat princeps, quod timet, sed ut carus suis sit, id sola clementia efficitur. Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Trojanum cœlo inservit.

Multa amittuntur tarditie, & socordia.

Accius in Diomede: Inopia consilii, & actionum tarditas, impedimenta sunt rerum gerendarum. Citatur à Nonio.

Multi iniq; atq; infideles regno, pauci sunt boni.

Idem apud Ciceronem. Trochaicus. Justitia & fides, rara in imperiis virtutes sunt: iniquitas & perfidia regnant in aulis principum.

Muni-

Munificus nemo putatur, nisi pariter volens.

Paccuvius in Duroleste. Virtus non appellanda est, quæ non est voluntaria: idque in primis dando, tribuendoq; locum habet. Legitur apud Nonium & Salustium in Iugurtha, auctore non nominato.

Mores amici noveris, non oderis.

Ex Menandro, Porphyrio, Horatii interpres; Debemus amici, si quod sit vitium, non fastidire. Menander, φίλυ τρόπυς γίνωσκε, μισήσης δὲ μὴ.

Mors misera non est, aditus ad mortem miser.

Fab. lib. 8. ex ignoto Poëta. Mori ipsum non est miserum, sit enim ad punctum temporis: dolores autem & cruciatus, qui mortem antecedunt, hominem miserum efficiunt, quanquam hoc negat in prima Tuscul. Cicero.

¶ Nihil est in vita proprium mortalitati datum.

Lucilius 27. Satyrarum apud Nonium, in vita hominum nihil stabile & sempiternum.

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Laberius hoc versu notavit Iulium Cæsarem: Huic similis ille Publii: Multos timere debet, quem multi timent.

Non possunt primi esse omnes omni tempore.

Idem apud Gellium: Tempus mutat statum vitæ.

Non facilè sine Deorum opera, propria humana sunt bona.

Accius in Amorum judicio apud Nonium. Iambicus octonarius. Absq; beneficio Dei nihil diuturnum est hominibus.

Non

Non genus virum ornat, sed vir fortis generis est loco.

Idem in Diomede, Trochaicus. Genus per se nemini ornamento est: præstans vir decus generi conciliat. Locum pro dignitate, in hoc versu interpretatur Nonius.

Nunquam ulli humilitas ingenium infirmat bonum.

Idem in Persidis apud Ruffinum. Bonitas ingenii omnibus fortunæ casibus superior.

Ne quid expectes amicos, quod tute agere possis.

Ennii apud Gellium. Trochaicus. Quod per nos efficere possumus, frustra amicis committitur negotium.

Nemo alteri concedit imperium volens.

Ex ignoto Poeta apud Salustium in oratione ad C. Cæsarem, de Rep. ordinanda. Nemo sponte deponit imperium, ut concedat alteri.

Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.

Plaut. in Must. Conscientia peccati maximum est malum.

Nihil homini amico est opportuno amicius.

Idem in Epicedio. Homo amicus & convictor commodus multis sublevant molestiis.

Necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.

Idem. In lucri cupiditate necessarius sumptus faciendus est.

Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

Idem

Idem in Pœnulo. Quicquid excedit modum, parit incommodum.

Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Idem in Trinummo, Trochaicus. Non annis, neq; diuturnitate temporis, sed naturæ bonitate acquiritur sapientia.

Nihil est, quin malè narrando possit depravarier.

Terent. in Phor. Malitiosa interpretatio etiam optime dicta pervertit.

Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.

Idem in Heau. Quò majus periculum est in suscipiendo aut perficiendo, eò factum redditur illustrius.

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.

Seneca in Agam. In imperiis societas, ut in matrimonio esse nequit.

Nemo potentes aggredi tutus potest.

Idem in Medea. Pontentioribus cum periculo resistit, quisquis resistit. Eadem apud Homerum, & Hesiodum sententia.

Negata magnis sceleribus semper fides.

Idem in Hippol. Atrocia scelera rarò creduntur: putantur enim fieri non posse.

Nunquam potest non esse virtuti locus.

Idem in Medea. Virtus nusquam excluditur, nusquam intempestiva est.

Non quàm diu, sed quàm benè vivas cogita.

Ex manuscripto. Stultè solliciti sunt de diuturnitate

tate vitæ, qui de morum honestate sunt securi. Varro in Modio scripsit, non eos optimè vixisse, qui diutissimè vixerint, sed qui modestissimè.

Nunquam quã multis placeas, sed quibus, stude.

Ex eodem. Non multitudini placendum est, sed bonis.

Non est tuum, quod fortuna fecit tuum.

Ex eodem. Fortuna nihil donat proprij, quia mutabilis est.

Non citò perit ruina, ruinam qui timet.

Ita Publij versum suprà emendavimus, quem aliter distinguunt exemplaria, aliter legit Erasm.

¶ O nulla longi temporis felicitas.

Sen. in Agam. Exclamatio in statum commutabilem rerum humanarũ.

O sors fortuna, ut nunquam perpetuò es bona.

Terent. in Hec. Altera exclamatio priori similis.

Ocio qui nescit uti, plus habet negotii.

Ennius apud Gellium. Trochaicus: Ocium qui malè collocat, plus molestiæ sibi ex ignavia asciscit.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Terent. in Andr. In mores hominum, qui offenduntur veritate tàm verborum quàm actionum, alliciuntur verò simulatione, & falso studio.

Omnia prius experiri, quã armis, sapientẽ decet.

Idem in Eun. Omnia prius tentanda sunt, quàm ad vim perveniatur. Legitur eadem sententia apud Apollonium, Aristotelem, Libanium.

¶ Pul-

¶ Pulchrum est eminere inter illustres viros.

Seneca in Octavia. Inter claros viros numerari, & inter eos excellere, summa laus est.

Patiare potius ipse, quàm facias scelus.

Idem in Theb. Melius est injuriam ferre, quàm inferre. Ex Socratis etiam sententia.

Pejora juvenes facilè præcepta audiunt.

Idem in Thyeste. Imperita ætas facilimè paret malis consilijs: cujus stultitiæ exemplum in Roboamo Solomonis filio proponunt sacræ Hebræorum literæ.

Pretio parata vincitur pretio fides.

Idem in Agam. Qui propter munera fidus est, ijsdem muneribus ad perfidiam adduci potest.

Pars sanitatis, velle sanari, fuit.

Idem in Hipp. Qui sanari cupit, aliqua ex parte sanitatem consecutus est.

Prona est timori semper in pejus fides.

Idem in Herc. Furente. Semper timemus pejora, siquidem timor impendentis mali est.

Pecunia ingens generis humani bonum.

Ex Euripide, Seneca ad Lucium, ὦ χρύσε δεξίωμα καλλίστη βροτοῖς. Omnes res bonæ aut sunt pulchræ per se, ut amicitia, virtus, felicitas: aut sunt utiles, propter fruendi noticiam, ut divitiæ.

Primùm auscultare disce, si nescis loqui.

Pomponius in Asia. Si ad dicendum imperitus, aut imparatus es, aliorum prius sermonibus aurem attentam adhibe.

Probis probari potius, quàm multis decet.

Accius

Accius ἐν ὁπλομαχίᾳ. *Bonorum judicio potius, quàm vulgi standum est. Tribuitur similis sententia Pittaco Mitylenæo.*

Plus mereri debet, in quo virtus est.

Varro in Eudemonibus apud Nonium. Trochaicus imperfectus. Majora præmia virtute præditis sunt tribuenda.

Patere quod datur, quando optata non danunt Dii.

Cæcilius in Plotio. Trochaicus. Danunt antiquè, pro dant. Docet patientiam & æquitatem hæc sententia, & ἀυταρκειαν.

Pauci ex multis amici sunt, qui certi sient.

Plaut. in Pseud. Amicorum, qui præsidio in adversis sint, mira est penuria. Pindar.

Perit voluptas, virtus immortalis est.

Ex manuscripto. Voluptates sunt temporariæ, & infamiam post se relinquunt, virtus ad laudem est perpetua.

¶ Qui per virtutem peritat, non pol interit.

Plaut. in Capt. Honestam mortem sequitur immortalis fama.

Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.

Idem in Truc. Trochaicus acatalectus. Sua facta consideret, qui alterius cum probro reprehendit.

Qui seipsum contemnit, in eo est indoles industriæ.

Idem in Urin. Trochaicus. Modestè de seipso senti-

Sentiens suos mores commendat, & majores quotidiè in virtute progressus facit.

Quàm multa justa, injusta fiunt moribus.

Terent. in Heau. Consuetudines multos errores secum trahunt, & vitia ipsa tuentur.

Quot homines, tot sententiæ: suus cuiq; mos.

Idem in Phor. Diversa hominum ingenia, & suo quisq; delectatur maximè.

Quem læpe transit casus, aliquando invenit.

Seneca in Herc. Furente. Etiamsi temerarius multa cedant feliciter, tamen tristi & calamitoso exitu non rarò pœnas luunt.

Quemcunq; miserum videris, hominem scias.

Ibidem. Propria hominibus est miseria.

Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

Idem in Hipo. In potentibus infinita cupiditas est, posse enim volunt, etiam fieri quæ non possunt.

Quò plura possis, plura patienter feras.

Idem in Troade. Quò potentior, eò sis æquior.

Quod rationes nequeunt, sanabit mora,

Idem in Agam. Dolor qui ratione tolli non potest, sæpè tempore exhauritur.

Qui non vetat peccare, cùm possit, jubet.

Idem in Troade. Qui non coercet malitiam cùm potest, alios ad peccandum lenitudine invitat.

Quem pœnitet peccasse, pœnæ est innocens.

Idem in Agam. Pœnitentia facti, levat pœnæ gravitatem.

Quem quisque metuit, odit ac perire vult.

Idem. Metus parit odium: odium excitat vindictæ cupiditatem. Principis ob benevolentiam est clementia.

Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.

Idem in Oedipo. Malus custos ad diuturnitatem metus est.

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

Ex Aristophanis Verbis. Cicero. In iis studiis versandum, ad quæ edocti sumus, & quorum usum habemus.

Quid refert, quantum habeas, multo illud plus est quod non habes.

Ex manuscripto. Multò pluribus caremus, quàm possidemus.

Quod esse tacitum vis, id nulli dixeris.

Ex eodem. Communica cum nullo, quod enunciari non vis.

¶ Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Seneca in Thyeste. Quales principum voluntates, talia vulgi sunt studia. Regis ad exemplum totus componitur orbis.

¶ Suus cuiq; mos, suus cuiq; ritus est.

Ex antiquo Poeta Symmacho.

Sæpè in magistrum scelera redierunt sua.

Sen. in Thye. In caput auctoris non rarò culpæ redundat. Et in Herc. Fur. Auctorem scelus reperit, suoq; premitur exemplo nocens.

Serum est cavendi tempus in mediis malis.

Ibid.

Ibid Prudentia & cautione ante malum opus est.
Sequitur superbos ultrò a tergo Deus.

Idem in Herc. Fur. Nemesis, hoc est, vindicta Dei, ultrix superbiæ est: & quidam ait: Frangit Deus omne superbum.
Si incolæ benè sunt morati, pulchrè munitum est oppidum.

Plaut. in Pers. Trochaicum. Non mœnibus firmantur urbes, sed civium moribus. Expellenda sunt autem, perfidia, peculatus, avaritia, invidia, ambitio, obtrectatio, perjurium, indiligentia, injuria, scelus. Hæc etiam si adsint, non centuplex murus rebus servandis sat est: ut idem inquit.
Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.

Terent. in Heau. Iambicus est Octonarius. Ex alienis malis comparata, pulcherrima prudentia est.
Sapiens suis fortunam fingit moribus.

Antiqui, sed ignoti Poëtæ. Appius in carminibus dixit, Fabrum esse quemq; suæ fortunæ, ut est apud Salustium: Fortuna talis est, quales hominum animi qui ferunt.
Sapiens vir honorem ut præmium, haud prædam petit.

Ex vetusto Poëta. Cic. de Oratore. Sapiens non venatur honorem, ut prædam existimet: sed rectè facta comitantem, ut præmium amplectitur.
Sæpè est etiam sub palliolo sordido sapientia.

Celius apud Cic. in 3. Tusc. Veræ virtuti & sapientiæ non obstat paupertas, ut Fabrico & Curio Im-

rio Impp. Romanis, Epicteto & Diogeni, Philosophis Græcis. Trochaicus.

Sapientia gubernator navem torquet, non valentia.

Titinnius in Setina apud Non. ex 23. lib. Iliad.

Μὴ δὶ αὖ τε κυβερνήτης ἐνὶ νίονπι πόντῳ,
Νῆα θοὴν ἰθύνῃ τρεχομένην ἀνέμοισι.

Gubernator consilio regit navem, non viribus; Plura ingenio perficiuntur, quàm robore.

Stultus est, qui cupida cupiens cupienter cupit.

Ennius in Phœnice apud Nonium Trochaicus habens Enniannm παρόιμιον, Nimia cupiditas stulti & immoderati animi indicium.

Tutissima res, timere nil, præter Deum.

Ex manuscripto. Nihil est ad defensionem suæ firmius timore Dei.

Tutum quis habuit, nemo securum scelus.

Seneca. Multi sceleris pœnam evaserunt, conscientiam sceleris nemo unquam vitare potuit.

Tu quod cavere possis, stultum amittere est.

Terent. in Eun. Stultitiæ argumentum est, non declinare, si possis, incommodum.

Violenta nemo imperia continuit diu.

Seneca in Troade. Nihil violentum diuturnum: moderata durant.

Victor timere quid potest? quod non timet.

Idem in Agam. Securitas sæpè ipsos victores perdidit.

Virtus est domare quæ cuncti timent.

Idem

Idem in Herc. Fur. Quæ vulgus horret, non extimescit vir fortis.

Vitam regit fortuna, non sapientia.

Theophrastus in Callisthene, apud Ciceronem 4. Tusc. Simile illi: Fortuna homini plus, quàm consilium. Ita enim in manuscripto Mimus ille legitur, Optima & sapientissima consilia sæpè frustrantur casu.

Virtute ambire oportet, non fautoribus.

Plaut. in Amph. Virtute potius ad honores, quàm gratia & prensatione contendendum est.

Uxor contenta est, quæ bona est uno viro.

Idem in Merc. Uxor honesta, si mariti studiosa est, impudica citius uno oculo (ut ille ait) quàm uno viro contenta.

Ut sunt humana, nihil perpetuum datum.

Idem in Cist. Talis est humanarum rerum conditio ut nihil firmi habeat.

Vivas ut possis, quando non quis ut velis.

Cacilius in Plotio, ut citat Donatus. Præsentem rerum statum æqui consule, si optato frui nequis.

Ubique tanti quisque quantum habuit, fuit.

Seneca ex Euripide apud Lucilium, & refert Horatius ad Mœcenatem. Tanti es, quantum habes.

EPISTOLA
ERASMUS LECTORI.

HUnc libellum denuò contulimus cum Græcis. Deprehendimus unam abesse sententiam, sed quæ nobis esset suspecta, tanquam notha. Adjecimus tamen addita nota, ne quis existimaret casu omissam, cùm in vulgatis exemplaribus habeatur. Rursum alibi Rodolphus ψυχῆς legisse videtur, ubi Græci codices excusi τύχης habent.

RODOLPHUS AGRICOLA
Joanni Agricolæ suo fratri
S. D.

NIhil habeo, mi frater, quod vel ego aptius tibi pro nostra necessitudine (ut qui frater sim tuus) afferre possim, vel tu potius pro tua ætate, ut qui primam juventutis spacia ingrederis, à me expectare debeas, quàm ut undecunq; possim, ea tradam tibi, quibus & eruditione ornatior, & vita melior evadas. Idq; dignum studiis meis, dignum amore nostro arbitror munus, ea parare tibi, quorum usus non tempore intercidat, non casibus obnoxius sit. Sed quemadmodum natura perpetuo nos devinxit pignore, ita illa quoq; quæ à me accipis, solida perinde sint, perpetuoq; adjumento tibi futura. Quod si pulchrè apud Poëtam ille monuisse filium videtur, qui inquit:

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem,
Fortunam ex aliis.

Et ille

Et ille quidem, cujus omnis conatus pendebat ex fortuna, omnis ad fortunam labor dirigebatur: non immeritò virtutis ego tibi hortamenta colligam, qui vitam hactenus eis impendi studiis, quæ vera, certissimaq; ad virtutem ducunt via, quæq; in rebus humanis quid expetendum sit, quid fugiendum, quid rectè, secusq; fiat, velut in speculo conspiciendum nobis, considerandumq; proponunt. Cùm sint autē permulta, quæ ad vitæ pertinēant institutionem, Græcis Latinisq; literis conscripta, egregia inprimis & admirabilis Isocratis ad Demonicum Paranesis mihi videtur. Ea enim suavitas est dicendi, is ornatus, & ea (ut ita dicam) sculptura orationis, tanta præterea majestas, utilitas, decor præceptorum, ut si quemadmodum pugiles medicatos quosdam nodos nexusq; habent, quibus in certamine subito, vel non cogitantes etiam utantur: Ita nos quoq; oporteat certa quædam & ad manum posita vitæ habere præcepta, quæ omnes nostras velut ad filum dirigant actiones, quorumq; tenax infixa mentibus nostris memoria, rectè nos limitem egredi ubiq; vetet, hic libellus aptus, vel maximè ad hanc rem accommodatus mihi videtur. Eum itaq; in Latinum sermonem è Græco converti, rem scrupulosam conatus, ut numerus quoq;, quorū ille fuit observantissimus, & schemata, vel (ut nos dicimus) exornationes orationis, quoad possem, imitarer. Per similiter enim cadentia & desinentia, & æquata & contra apposita, & reliquos id genus ornatus, volvitur oratio. Quorum ut studiosus, præcipuè Gor-

puè Gorgias Leontinus præceptor ipsius, aliique ætatis illius sophistæ fuerunt, ita diligentior ipse, ut secuta ipsum, non affectata viderentur. Hunc ego legendum tibi etiam atque etiam, & ad verbum quoq; ediscendum censeo, semperq; velut ante oculos tanquam regulam quandam, vitæq; præscriptum habendum. Ita fiet, ut non solùm instruat os tuum, verùm animum quoq; emendet. Quemadmodum enim ad doctrinam præcipuum est, intelligere quæ legas, ita ad virtutem maximum, facere quæ intelligas.

ISOCRATIS AD DEMONICUM PARÆNESIS,

per eruditissimum Virum Rodolphum Agricolam, è Græco in Latinum sermonem traducta.

IN multis, Demonice, rebus, multùm invenimus distantes bonorum mentes atque malorum cogitationes, multò verò maximum accipere discrimen circa mutuam consuetudinem vitæ. Hi enim præsentes solùm amicos venerantur, alii eos quoque, qui longè absunt, benevolentia prosequuntur. Ac malorum quidem amicitias tempus exiguum dissolvit, at bonorum ne omnis quidem ævi tractus extinguit.

Cùm putem igitur eos, qui gloriam expetunt, quiq; suos eruditioni conatus destinant, bonos, & nequa-

nequaquam malos decere sectari, hanc orationem dono tibi misi, indicium erga te benevolentiæ, signumque cum Hipponico familiaritatis. Decet enim liberos quemadmodum facultatum, ita amicitiæ quoq; paternæ hæreditatem suscipere. Video autem & occasionem nobis convenientem, & præsentis nos opportunitatem temporis adjuvantem. Tu enim erudiri cupis, ego erudire alios adnitor: tu sapientiæ studio adhuc teneris, ego deditos illi rectà deduco. Quicunque autem adhortatorias ad amicos suos orationes conscribunt, pulchrum illi quidem opus assumunt, non tamen circa id, quod est in philosophia præstantissimum, laborant. Qui verò adolescentibus præmonstrant non ea, quibus vehementiam in dicendo consequantur, sed quo pacto vita moribusq; industrii fiant, tantò magis, quàm illi audientibus prosunt, quantum interest quod illi ad sola ipsos verba confirmant, hi verò ipsorum quoque facta emendant. Quamobrem nos non exhortationem tibi parantes, sed institutionem tibi scribentes, pergemus nostri te consilii participem facere, quas res oporteat Adolescentes desiderare, & quæ rursus opera vitare, qualibus idem hominibus se conjungere, & quomodo suam ipsorum vitam instituere. Quicunq; enim vitæ cursum hoc itinere fecerunt, hi soli ad ipsam virtutem ingenuè adire potuerunt, qua non res honestior, non constantior est ulla. Pulchritudo enim vel valetudine perit, vel tempore flaccescit. Divitiæ vitiorum sunt potius, quàm integrita-

tis ministra, facultatem nempè desidiæ præbentes, & ad voluptatem juvenes excitantes. Robur prudentiæ conjunctum profuit, sine illa verò sæpius eum, qui id habet, offendit, & corpora quidem eorum, qui se exercent, adornant, industriam verò mentis obscurant. Virtutis autem confessio, quorum bona fide mentibus ipsa coaluerit, sola consenescit, divitiis potior, utiliorq; generis splendore, quæq; fieri nequeunt ab aliis, illa suis virib. subdens, & multitudine metuenda, constanter expectans, desidiam dedecus, laborem laudem arbitrantur. Hoc cognitu perfacile est, ex gloria certaminum Herculis, operumq; à Theseo gestorum, quibus morum præstantia tantum laudis insigne operibus adjecit, ut omnium temporum posteritas rebus, quas gesserunt, offundere nequierit oblivionem. Sed & tu quoque memor patris tui vivendi secta, nonne habebis pulchrum ac domesticum eorum, quæ à me tibi dicentur, exemplum? Neq; enim parui virtutem faciens, neq; socordiæ deditus egit ætatem, sed corpus laboribus exercebat, animo pericula subibat, neq; extra modum divitias expetebat, sed præsentibus quidem fruebatur bonis, veluti mortalis, gerebatq; curam futurorum, velut immortalis. Neq; vero contemptè vitam instituerat, sed elegans erat & magnificus, simulq; expositus amicis. Impensius laudabat officio ipsum prosequentes, quam generis sibi necessitudine devinctos, persuadebat enim multò ad amicitiam efficaciorem esse naturam lege, mores genere, electionem necessitate.

tate. Tempus in præsentia nos deficeret si omnes illius actiones enumerare pergamus, exacteq3 de illis nobis alio erit loco disserendum. Nunc signum quoddam Hipponici sustulimus natura, ad quem velut exemplar vitam formes oportet, legemq3 tibi mores illius putes, & imitatorem te, æmulumq3 virtutis paternæ prabeas. Turpe namq3 fuerit, pictores pulcherrima quaq3 exprimere animantium, & liberos non imitari industriam parentum. Existimes, autem nullum ita pugilem contra adversarios suos decere meditari, sicut te considerare, quo pacto cum patris tui ratione vivendi decertes. Fieri autem non potest, ut animum quisquam taliter formet, nisi multis antè honestisq3 præceptis fuerit expletus. Corpora namq3 moderatis laboribus, animus verò honestis actionibus roborantur. Experiare igitur, breviter ea tibi exhibere, quibus observandis in vita plurimùm mihi videaris virtutibus additurus, & gloriam cunctos apud homines consecuturus.

PRimùm quidem piè divina colas, non solùm sacrificans, verùm etiam quod juraveris præstans. Illud enim affluentiæ opum est signum, hoc opum probitatis indicium. Numen venerare semper quidem, præsertim, quod civitas: sic enim simul videberis sacra Deo facere, legibusq3 obtemperare.

Talem te exhibeas erga parentes, quales exhibere se tibi voles ex te progenitos.

Firma te exercitationibus corporis, non iis, quæ roboris,

robori, sed quæ sanitati conducunt. Id assequêre si desines laborare, tolerando adhuc labori sufficiens.

Neq; in risum proclivis esse velis, neq; in vera confidens: illud enim stulti est, istud furentis.

Quæ factu turpia sunt, ne dictu quidem putes honesta. Eac assuescas non tristis esse, sed cogitabunas. Propter illud enim ferox, propter hoc providus se crederis.

Putes inprimis te decere modestiam, pudorem, justitiam, temperantiam. Istis enim omnibus conueri probitas adolescentum videtur.

Neq; latiturum te, si turpe quippiam feceris, fores. Ut enim alios celes, teipsum tamen conscium habebis.

Deum time, parentes honora, amicos reverere, legibus obedi, voluptates sectare gloriæ junctas. Oblectatione enim cum honestate nihil est melius, ne illa verò nil est peius.

Obtrectationes devites, tametsi fuerint fas, vulgus enim veritatem ignorat, opinionemq; pous spectat.

Sic facito cuncta, veluti neminem celaturus: ametsi enim parumper occultes, postea tamen deteris.

Plurimum tibi opinionis adjunges, si apparet ea te non facere, quæ, si fuerint ab aliis facta, reprehendas.

Si cupidè didiceris, multa quoq; disces: Quæ

rum habes doctrinam, ea meditationum custodias cuis: at quæ nescis, ea præceptis adjunge doctrinis. Aquè namq; turpe eum, qui utilem audit orationem, non addiscere, & cui datur ab amicis munusaliquod, non recipere.

Vitæ ocium studio percipiendæ eruditionis impede, sic enim difficulter ab aliis inventa facilè tibi peripere continget.

Puta multitudinem præceptionum multis opibus essootiorem: istæ enim celeriter dilabuntur, illæ in ome permanent tempus. Sola enim rerum omnium imortalis est sapientia.

Ne pigeat longum facere iter adeos, qui conducille se aliquid docere profitentur. Turpe namque fuit mercatores tanta transire maria, quò cumulatores suas opes efficiant, adolescentes verò ne terrauidem sustinere proficisci aliquo, quatenus meliorm suam faciant mentem.

Moribus fac ut sis comis, verbis autem affabilis Est autem comitatis, benignè obvios appellare: affbilitatis, familiariter cum ipsis verba communiere.

Benignum te præbeas cunctis, optimis autem utar: sic & illis inimicus non eris, & istis amicus fies.

Neque crebrò convenias eosdem, neque diu cum eisgas de eisdem. Sacietas enim est omnium.

Xerce spontaneis teipsum laboribus, ut adactos qui perferre queas.

A qui-

A quibus turpe est animum vinci, eorum omnium temperantiam exerce, lucri, iræ, voluptatis, doloris. Id autem continget, si lucrum putaveris id, quo gloriam augeas, non quo divitiis addas.

In iratis talis, adversus peccantes, quales delinquenti tibi esse alios velles. In jucundis si turpe putaveris, te tuis servis imperare, voluptatibus verò servire. In adversis, alienas si respicias calamitates, tibiq; quòd homo sis, in memoriam subinde deducas.

Verborum magis, quàm pecuniarum depositâ tuere, decet namq; viros jurejurando se fideliores præstare.

Consentaneum puto perinde malis non credere, quemadmodum fidem bonis habere.

Quæ nolis efferri, nemini dixeris, nisi tantundem expediat ea taceri, & tibi dicenti, & illis qui audierunt.

Jurisjurandum adactum, propter duas accipito causas, vel ut teipsum turpi crimine exoluas, vel amicos tuos in magnis periculis serves. Pecuniarum autem gratia nullum numen curaveris. Videberis enim aliis peierare, aliis pecuniarum cupidus esse.

Nullum fac amicum, nisi exploraveris antè, quo pacto prioribus sit usus amicis. Speranamq; ipsum ergate futurum talem, qualis & erga illos fuit.

Tardè fias amicus, factus autem, da operam, ut permaneas. Tantundem enim dedecoris: & nullum amicum habere, & crebros subinde amicos mutare.

Neq;

Neq; cum damno amicos probes, nec inexpertus ipsorum esse voles. Hoc autem facies, si & cùm nullius indigeas, te similes indigere, & illa quæ vulgari nihil referas, veluti occultanda concredas, deceptus enim opinione nihil offendes, non deceptus, mores illorum rebus fictis nosces.

Amicos proba, & ex vitæ adversitate, & ex periculorum societate. Aurum enim igne perspicimus, amicos verò inter adversa cognoscimus.

Amicis hoc pacto uteris commodissimè, si non, ut ab eis rogeris, expectes, sed pollicens ulterò ipsis in tempore succurras.

Æquè putes turpe, & ab inimicis superari injuriis, & ab amicis superari beneficiis.

In familiaritate proba non solùm malis tuis indolentes, verùm etiam bonis non invidentes. Multos enim, qui cum infelicibus mœrent, prosperitatis illorum invidia torquet.

Absentium amicorum fac memineris apud præsentes, ut rationem etiam istorum quoq; absentium habere videaris. Circa vestitum elegans, non splendidus esse velis. Est autem elegantis quidem magnificum, splendidi verò, esse profusum.

Ama rerum non immensam possessionem, sed moderatam perfruitionem. Contemne divitiarum studio occupatos, atq; iis, quæ habent, uti nescientes. Simile namq; contingit illis, quod equum possidenti bonum, & equitare nescienti.

Adnitere divitias tibi, pecunias scilicet atq; pos-

sessio-

sessiones, apparare. Sunt autem pecuniæ illorum, qui rectè ipsis frui sciunt, possessiones, qui ipsis uti queunt.

Dilige, quas habes, facultates, duas ob causas, ut & magnum aliquod damnum resarcire, & amicis probis laborantibus possis opem ferre: ad reliquum vitæ usum non plus æquo, sed moderatè ista concupisce.

Amplectere quidem præsentia, quæsque meliora.

Nulli calamitatem exprobraris: communis enim est fortuna, & futurum incertum.

Bonis benefac. honestus enim thesaurus est, gratia, quæ à bono viro debetur.

Si malis benefacias, simile tibi continget, quod qui alienos canes pascunt: illi enim danti, sicut temerè occurrenti allatrant. Mali quoq; eos qui prosunt, sicuti qui nocent, similiter offendunt.

Adulantes aversare, perinde atq; fallentes: utrinq; enim cùm eis fides habetur, injuria afficiunt eos, qui sibi crediderunt.

Si amplexus fueris amicos, qui ad pessima gratificantur, non habebis unquam, qui tibi ad ea, quæ sunt optima, sequendum obsistant.

Comem te præbeas eis, quibus cum conversaris, & non insolentem. Superborum enim fastum vix servi quoq; perferrent, at morum comitatem cuncti benigniter acceptant. Eris autem comis, si neq; jurgator sis, neq; implacidus, neq; cum omnibus contendas,

tendas, neque iræ eorum, cum quibus agis, celeriter occurras, neq; si injustè quidem fuerint irati, sed efferveſcentibus concedas, deinde ipſos, ubi relanguerit ira, reprehendas. Neq; inter ridicula ſeriis, neq; inter ſeria ridiculis gaudeas. Intempeſtivum enim ubiq; eſt moleſtum. Neque ingratè gratiam ineas, quod multis evenit, qui faciunt quidem, ſed agrè tamen amicis inſerviunt. Neq; cupidus fueris vel culpandi, quia grave eſt, vel caſtigandi, quia eſt acerbum.

In primis cave tibi à potandi conſuetudine, quod ſi quando tulerit tempus, ante ebrietatem ſurge. Cùm fuerit mens vino correpta, patitur idem quod currus ſolent, qui ſuos effuderunt aurigas, illi namque nullo ordine ſuis deſtituti rectoribus feruntur: Animus quoq; plurima peccat ratione ſubverſa.

Immortalia ſentias, magnitudinem animi præ te ferendo, mortalia verò moderatè præſentibus perfruendo.

Tantò modeſtiam meliorem immodeſtia putes, quantum eſt, quod alia quidem omnia perversè facta lucro ſunt eis, qui illa adimunt, ſola autem immodeſtia damno afficit eam habentes, pleruńq; enim, quos verbis offenderunt, illis rebus pœnas luunt.

Quorum conciliare tibi amicitiam velis, boni quippiam de eis prædices apud illos, qui ſunt renunciaturi. Principium enim amicitiæ laus eſt, inimicitiæ vituperium.

Quum consulis, præterita sumas in exemplum futurorum, latens enim ex eo, quod apertum est, expeditissimè poteris cognoscere.

Delibera diu, celeriter verò confice, quod decreviſti.

Optimum puta contingere nobis à Deo prosperitatem, à nobis ipsis prudentiam.

Quibus de rebus liberè proloqui te pudet, visq; cum amicis aliquibus de eis communicare, verbis velut de alieno negotio utere. Sic enim & illorum sententiam noſces, teipsumque haud quaquam manifestum reddes.

Quum super tuis rebus aliquem in consilium tibi adsumes, considera primùm quo pacto ipse res gesſit. Qui enim malè administravit suas, nunquam benè consulet in alienis.

Ita poteris maximè ad consulendum excitari, si calamitates, quas adfert temeritas, spectes. Sanitatis namq; tunc præcipuè curam habemus, cum valetudinis adversa dolorum recordamur.

Regum imitare mores illorumq; vitæ rationem, sectare: videberis enim amplecti illos, vel æmulari.

Ita apud multitudinem tibi majorem continget laudem assequi, & constantiore Regum benevolentia perfrui.

Obsequere legibus, quas Reges statuunt, firmiſſimam tamen legem mores illorum putes. Sicut enim qui Rempub. gubernant, opus habent populum observare, ita sub principatu viventem maximè regem decet honorare.

Magi-

Magistratu præditus, nemine ad obeunda ministeria malo utere. Quæ enim ille deliquerit, eorum in te culpa referetur.

Ex publicis administrationibus abeas, non opibus cumulatior, sed gloria honestior. Multis enim opibus præstantior est multitudinis laus.

Nullam rem inhonestam, neq; dicto, neq; facto juveris. Videberis enim ipse talia facere, qualia facientes alios tueris.

Sic te comparato, ut aliis superior esse possis, sis tamen ex æquo contentus, ut justitiam videaris expetere, non propter imbecillitatem, sed propter æquitatem.

Elige justam potius paupertatem, quàm divitias injustas. Tantò enim præstantior est opibus justitia, ut illæ solis vivis prosint, hæc verò defunctis etiam gloria præstet, & illæ passim improbis contingant, hæc malis prorsus sit inaccessa.

Neminem tibi junxeris eorum, quibus injustitia lucro est, sed potius eos, qui propter justitiam ferunt jacturas. Iusti enim, etsi nulla alia re superent injustos, honesta tamen spe ipsos antecellunt.

Omnium curam gere, quæ ad vitam pertinent, maximeq; omnium providentiam tui ipsius exerce: maximum enim in minimo est, mens bona in humano corpore.

Operam da, ut sis corpore laborum patiens, animo sapientiæ appetens, ut illo perficere possis decreta, hoc decernere facienda.

Quicquid dicturus es, prius apud animum tuum expende. Multorum enim cogitationem lingua præcurrit.

Putare rerum humanarum nihil esse firmum: Ita nec in prosperis lætitia gesties, nec in adversis dolore concides.

Duo tibi tempora ad dicendum deputa, vel cùm sint aliqua, de quibus exploratum habeas, vel de quibus dicere est necesse. In solis enim istis potior est silentio sermo: in reliquis melius fuerit tacere, quàm loqui.

Gaude cùm tibi contigerint bona, moderatéq; dole, ubi inciderint mala, neutrius tamen animi in aliis esse velis manifestus. Absurdum est enim reconditas in domibus opes asservare, & cogitationem in propatulo positam circumferre.

Magis dedecus vites, quàm periculum. Oportet enim malis formidabilem esse finem vitæ: probis verò etiam cum turpitudine conjunctam.

Conare in primis vitam in tuto collocare: quod si tamen contigerit in periculum te devocari, quære in bello salutem, cum honesta opinione, & non cum pudenda fama: mori namq; cunctis providentia decrevit, sed honestè vita decedere, id bonis tantùm viris proprium natura concessit.

NEC mirum tibi videatur, si multa quæ diximus, haudquaquam præsenti tua conveniãt ætati. Non enim id me latebat, sed statui eadem opera & præ-

& præsentis vitæ consilium tibi proferre. & futuri temporis monita relinquere: quæ quanto tibi sint usui futura, facilè cognosces, qui verò tibi cum benevolentia consulat, difficulter consequeris. Ut ergò reliqui non ex alio requiras, sed hinc velut ex ærario proferas, decrevi nihil eorum prætermittere, quæcunq; tibi possem in consilium afferre. Gratiam autem habeo Deo ingentem, si, quam de te accepi, non me fallat opinio. Plerosque enim videmus, ut cibis jucundissimis potius quàm saluberrimis delectari, ita seducentibus à vero amicis potius accedere, quàm illis, qui ad meliora hortentur. Te verò puto contra instituisse pergere, judicium mihi, tuam circa reliquum vitæ cultum industriam, sumens. Qui enim rectissima sibi ipse agere indicit, consentaneum est eum aliorum ad virtutem exhortantium monita non segniter amplecti. Præcipuè excitabit te, ut rerum honestarum amore teneatis, si perspexeris, quòd ex iis voluptates perquàm legitimè habemus. In socordia namque satiandarumquè libidinum studio, continuò sunt labores voluptatibus adjuncti: enixus verò ad virtutem conatus, modestaq; vitæ institutio, synceras semper, certioresquè referunt oblectationes. Et illic quidem gaviſi primùm, posteà dolemus, hîc post laborem voluptates capimus. In cunctis autem rebus non ita principii meminimus, quemadmodum exitus sensu movemur. Plurima enim in vita non propter res ipsas agimus, sed consequentium gratia elaboramus.

Cogita autem quod malis convenit, passim quicquid obvium est agere. Hanc enim protinus vitæ sibi regulam præscripserunt. Bonos verò oportet nequaquam virtutem negligere, vel in multarum incurrere reprehensiones. Cuncti enim non perinde oderunt eos, qui se fallunt, sicuti qui probos esse se jactant, nullaq; in re vulgo sunt præferendi. Rectè quidem. Nam si eos, qui solis verbis fraudem struunt, improbamus, quomodo eos, qui tota aberrant via, non aspernandos putabimus? meritoq; credimus, istos non solùm in se ipsos delinquere, sed & animi sui esse proditores. Ipsæ enim opes illis gloriamquè, & amicos pepererunt, illi verò seipsos indignos hac sua felicitate fecerunt. Quod si oportet eum, qui mortalis sit, scrutari conjectura cœlestium mentem, arbitror in familiarissimis suis maximè ostendisse, quomodo bonis sint, malisq; adfecti hominibus. Iupiter enim Herculem & Tantalum genuit: quemadmodum fabulæ tradunt, cunctiq; credunt, & illum quidem propter virtutem immortalitate donavit, hunc propter improbitatem gravissimis calamitatibus oppressit. Quibus utentem exemplis expetere decet honestatem, & non modò his, quæ nos diximus, sed ex Poëtis pulcherrimum quodq; edisce re, & reliquos eruditos, si quid dixerunt utile, scrutari. Quemadmodum enim videmus Apem omnibus floscul is insidentem, & de unoquoque optima carpentem, ita oportet, qui vitæ disciplinam expetunt, nullius

PARÆNESIS.

nullius rei rudes esse, & undique quæ sunt utilia, colligere. Vix enim quis hac diligentia naturæ poterit errata superare.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752/phys_0139
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752/phys_0140
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752/phys_0144
DFG



MILES.

cet, non quod libet.
ntia non abutendum ad

ia te adjuvat.
erſis exploratur amicò-

utare, adjuvat.
aquus optimum eſt con-
bi.

cùm te felicem vocas.
cunda ſecuritatem pari-
is initium.
m poſitum ſcias.
us omnem vincit iniqui-

od eſt, ſed quod ſubeſt.
on ſolet eſſe rectum ju di-

perferre grave.
mala tolerare aliquan-
ntia eſt difficilior.
ntur moribus.
xpreſſo auctoris nomine,
ſatur. Leges feruntur
, improbitas bonarum.

m non attingat dolor.
ſc. Nemo tam felix un-
, qui non aliquando do-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778715752/phys_0145
DFG